

# Canticum Canticorum

illustratum

ex Hierographia Orientalium

A u c t o r e

J. H. K i s t e m a k e r

Consiliar. consist. Prof. Exeg. bibl. in Univ. Monast.  
Direct. Gymn. Exam. Syn. etc.

---

Πάντα ἐνώπιον τοῖς συνιουσι, καὶ ὄρθα τοῖς  
ἐυρισκουσι γνωσιν.

Παροιμ. Σαλωμ. viii, 9.

---

Monasterii 1818,  
apud Fridericum Theising.

CAUTION CAUTION

ex Hierographia Orientalium

Auctor

J. W. Fischer

Compendium der Geographie der Ostindien  
I. Theil. Hamburg 1774.

Verlag des Verlegers, Carl Gottl.

Verlag des Verlegers

Hamburg 1774

München 1774

Verlag des Verlegers

Cum liber hic cui Titulus:

Canticum Canticorum illustratum  
etc. etc. etc.

nihil nisi doctrinae Ecclesiae catholicae et bonis moribus consentaneum contineat, ut in lucem prodeat hisce approbamus.

Monasterii 3<sup>tia</sup> Januarii

1818.

Clemens L. B. Droste

ex Vischering,

Vicarius gen. in spir.

Can liber hic est Titulus

Christum Cantuarum Illustrationes

etc. etc. etc.

offit ubi doctores B. deus catholice et ha-  
biti in quibus consuetudinem continent, ut in his  
etiam parochia hinc appropinquat.

Monsieur de la Rochelle

1818.

Clement L. R. Doyne

et alii

Venerabilis etc. in etc.

---

1. *Pro oemium.*

*Omnia scriptura sacra, eo spiritu debet legi, quo facta est.* Sic praecipit autor ille, qui rudi verborum habitu insignes sententias offerre solet, *Thomas a Kempis* L. 1. de Imit. c. 8. Hoc ejus praeceptum hermeneticum attingit scripta quaevis et profana et maxime sacra; atque de hisce sacris non id solum monet, ut spiritum pium ac religiosum scribentis induas, sed etiam ut animo te insinues in omnia personarum, locorum et temporum adjuncta. Hoc uti necesse est, ita saepe est perquam difficile, praecipue in scriptis ex remotissima temporum antiquitate ad nos delatis, ubi alia omnino, ac nunc, erat ratio cogitandi, sentiendi, ac animi sensa promendi, alii mores, aliaque instituta. In haec si te

A

animo transferre non noveris, sed ad nostri temporis rationes omnia aestimes; necesse est, ut multum aberres in legendo ac interpretando scripta ejusmodi antiqua.

Ad haec scripta antiquissima pertinet Canticum Canticorum. Quare mirum non est, ejus sensum et indolem, tum quod tam antiquum est, tum quod insolentiori poeseos sermone scriptum, multa difficultate et caligine premi, ideoque variis interpretamentis locum dedisse. Ad eas difficultates removendas forte tutior via nobis commonstrabitur, si prius inquiremus, quid ii, a quibus aetate propinquieribus hoc canticum nobis traditum est, de eo senserint, nempe cui auctori id tribuerint, quo in pretio id habuerint, ac quem sensum eidem adscripserint.

His praemissis dein disquiramus, quodnam carminis totius argumentum, quae forma sit; tum diligentius statuamus, quaeenam priscis temporibus sentiendi ac sensa animi proponendi ratio fuerit; dein post haec ad ipsam cantici indolem ac sensum constituendum accedamus; demum alienas expositiones, ac objectiones contra eam, quam probavimus, remove studebimus,

adnectentes coronidis loco quaedam de sensu psalmi XLIV (aliis XLV), qui multum affinitatis cum hoc Cantico habere videtur.

2. *Quo loco hoc canticum fuerit antiquis Hebraeis et Christianis.*

Canticum hoc a rege Salomone, qui carmina quinque et mille scripsisse dicitur 3 Reg. IV, 32, compositum esse testatur utriusque ecclesiae, Israeliticae et Christianae, auctoritas. Haec testimonia sunt notiora et evidentiora, quam ut necesse sit, ea hic adscribere. Sunt quidam ex magistris Hebraeorum, qui dicant, ab Ezechia rege ac ejus caetu seu viris scripta esse Proverbia, Canticum et Ecclesiasten. Sic Thalmudistae in Bava Bathra C. 1. Atque quoniam inter viros Ezechiae principem locum tenebat Isaias propheta; alii, ut Rabbi Gedalias, ajunt: « Isaias scripsit « librum suum, et Proverbia et Canticum « et Ecclesiasten. » Haec sententia unde orta sit, ac quid sibi velit, liquet ex Proverb. XXVI, ubi legitur: « Hae quoque « parabolae Salomonis, quas transtulerunt « viri Ezechiae regis Juda. » Scilicet, ut

pressius redditur hebraicum ab interpretibus graecis, *transscripserunt*, nempe ex volumine antiquo ac authentico; atque sic novam ac accuratam libri recensionem ediderunt, idque forte ideo, quod ejus exemplaria erant rariora, aut erroribus descriptentium infecta. Hoc ipsum est, quod volunt Rabbini; qui dicunt: Scripsit Ezechias seu Isaias hoc canticum. Ex eo autem, quod rex ille admodum religiosus, ut pietatem plebis, pravorum regum exemplis labefactatam restauraret, hoc canticum curatius describi ac evulgari jusserit, id quoque discimus, non vulgare opus id existimatum fuisse, sed permagno in pretio habitum.

Idem multo magis discimus ex eo, quod idipsum in canonem sacrarum scripturarum constanter relatam sit ab utriusque ecclesiae magistris. Qui de Israelitica ecclesia id testantur, sunt praeter alios *Flavius Josephus* contra Apion. L. 1. §. 8, quatuor libris ethicis id annumerans; *Thalmudistae* in Bava Bathra; ac in codice Jadaim c. 5, §. 5. R. *Akiba* dicit: « Universus mundus non est dignus eo die, quo canticum Israeli traditum est: nam omnia Hagio-



« grapha sunt sancta, sed Canticum est  
 « sanctum sanctorum. » Unde Chaldaeus  
 initio suae Paraphraseos dicit: « Decem  
 « cantica (quae ibidem refert) dicta fue-  
 « runt in saeculo isto, sed canticum hoc  
 « laudabilius est omnibus istis. » Ac *Aben  
 Ezra* praefatione in Canticum dicit de ejus  
 auctoritate sacra: « Non est dissensio de  
 « illa. »

Ex christianis scriptoribus, qui idem  
 testantur, hos nominare sufficiat: *Melito-  
 nem*, saeculi secundi scriptorem, apud  
*Eusebium* L. IV. Hist. eccl. c. 26; *Orige-  
 nem* apud eundem L. VI, c. 52; *Hierony-  
 mum* in Prologo Galeato; *Concilium Lao-  
 dicense*; *Cyrillum Hierosolymitanum* Ca-  
 tech. 4; *Theodoretum* praefatione in Can-  
 tica, qui scribens ibi contra Theodorum  
 Mopsuestenum (de quo infra dicam,) ad  
 communem patrum sensum provocat:  
 « Debebant isti, qui Cantico detrectant,  
 « agnoscere sanctos patres, se longe supe-  
 « riores scientia et spiritu, qui librum  
 « hunc inter divinas scripturas collocarunt,  
 « eumque, ut spiritu refertum comprobant,  
 « tes, ecclesia dignum censuerunt. »

Haec testimonia tot tantaque ac tam

unanimitia qui perpenderit, quique noverit, in illa disquisitione, quis auctor libri aliqujus seu profani seu sacri sit, omnia pendere ab auctoritate testimoniorum seu ab argumentis his extrinsecis; eum nil movebunt scrupuli seu potius cavillationes, quas opponit *Eichhorn* Einleit. ins A. T. tomo 3. §. 646 et seqq. Is, argumentis intrinsecis usus, negat Salomonem esse auctorem, ac librum esse sacrum seu canonicum. Primum negat, tum quia insint in eo vocabula aliquot Aramaea, ut vocat, ab aetate Salomonis aliena; tum quia infirma sit auctoritas inscriptionis: *Canticum Salomonis*; demum quia congruum non esset Salomoni, suos ipsius amores canere, ac semet verbis tam magnificis, uti fit in hoc cantico, praedicare. Alterum negat ex solo hoc capite, quod nil sacri, sed humanos solos, seu terrenos amores contineat. Ejusdem generis sunt, quae proferuntur a *Michaelis* Bibl. Or. t. 3. p. 45 et alibi, itemque a *Semler* aliisque.

Ad haec opposita quid respondeamus, in promptu est, nempe: hebraicam literaturam non adeo nobis cognitam esse, ut definire possimus, quae vocabula aetati Sa-

lomonis aliena fuerint; ad ipsam cantici indolem poeticam pertinere, quod adsint quaedam voces, in aliis libris prosaicis non occurrentes; ex inscriptione sola non probari a nobis, auctorem esse Salomonem; sed id verum esse, quod praefert inscriptio, firmari testimoniorum auctoritatibus; postremo perverti ordinem justae disquisitionis, dum ex eo, quod in quaestione versatur, an humani amores soli hic celebrentur, argumentum depromitur.

Ad hanc quaestionem quis amor hic cantetur, discutiendam antequam accedamus, prius recto magis ordine inquiremus historice, id quod sequitur, nempe

### 3. *Quem sensum antiqui Hebraei et Christiani huic Cantico tribuerint.*

Spiritualem sensum, eumque solum, illi tributum esse ab Hebraeorum magistris, discimus ex *Chaldaica* paraphrasi, ex testimoniis *R. Salomon*, *Aben Ezra* et aliorum: ex quibus constat eos omnes docuisse, sponsam esse synagogam, sponsumque Deum aut Messiam. Hoc et *Maimonides*

in Jesod. tora c. 6, sect. 12 confirmat: « Di-  
 « cunt magistri nostri piae memoriae, om-  
 « nis Salomo, cujus in Cantico Cant. fit  
 « mentio, sanctus est.” — Christiani doc-  
 tores antiquissimi quem sensum dederint  
 huic cantico, notum satis est. Audiamus  
*Theodoretum* in prooemio suae interpreta-  
 tionis sic de iis scribentem: « Non solum  
 « Eusebius Palaestinus, et Origenes Aegyptius,  
 « et martyrii corona redimitus Cyprianus  
 « Carthaginensis, et his antiquiores,  
 « apostolisque propinquiores, verum  
 « etiam qui post in ecclesiis excelluerunt,  
 « magnus ille Basilius Proverbiorum prin-  
 « cipium exponens, et uterque Gregorius,  
 « quorum alter sanguine, alter amicitia  
 « Basilio conjunctus fuit, et fortis ille pie-  
 « tatis propugnator Diodorus, et Joannes,  
 « qui ad hunc usque diem doctrinae fluen-  
 « tis irrigat universum orbem terrarum,  
 « ac denique, ut paucis rem complectens  
 « consulam brevitati, omnes quotquot po-  
 « stea fuerunt, librum hunc spirituales  
 « esse censuerunt.” — Spirituales autem  
 censuerunt ita, ut sensu proximo et pro-  
 prio sponsa sit ecclesia, ejusque sponsus  
 Christus Dominus. Id idem *Theodoretus*

saepius monet; id auctor libri de Unitate eccl., qui si non Augustinus ipse, certe Augustino coevus est: « Quod, ait, Canticum de sancta Ecclesia dictum, omnis Christianus agnoscit.» Sic et *Augustinus* in speculo: « Totus hic liber amores sanctos Christi et ecclesiae figurata locutione commendat.»

Ex his documentis, aliisque pluribus, quae producere opus non esse censeo, apparet, Canticum hoc ab antiquis utriusque testamenti magistris constanter intellectum fuisse de spirituali amore Deum inter et homines, ac speciatim inter Messiam et synagogam, aut inter Christum et ecclesiam.

Primus, ut historia ecclesiastica testatur, qui ab hac expositione recessit, etsi sua aetate paucissimos sectatores, aut nullum alicujus nominis, inveniens, fuit *Theodorus Mopsuestenus*. Is, qui vixit sub saeculi iv finem, nil aliud, nisi terrenos seu humanos amores in hoc cantico celebrari existimabat. Ex scriptis hujus viri, fama minime bona nobilitati, paucissima quidem nobis restant fragmenta. Verum loca quaedam ex ejus expositione hujus Cantici producuntur in Collat. quarta Concilii Con-

stantinop. secundi seu aecumenici quarti, quae licet alicubi obscuriora, ac variantibus lectionibus turbata, tamen satis produnt mentem ejus, omne spirituale et sacrum a Cantico ablegantis. Constat, ob haec aliaque plura, audacius scripta, eum jam mortuum a patribus ejus Concilii, sub medium saeculi vi habiti, anathemate percussus fuisse. Etiam *Theodoretus* acerbis verbis notat ejusmodi expositionem, etsi suppresso Theodori nomine. « Ceterum, « inquit in proemio, quia nonnulli eorum, « qui Canticum Cant. calumniantur, ac « spirituales esse librum negant, fabulas « quasdam ne aniculis quidem delirantibus « dignas contexunt, alii nimirum, quod « sapiens Salomo de se ipso deque Pharaonis filia scripserit, nonnulli autem « ejusdem classis auctores pro Pharaonis « filia sponsam esse Abisai Sunamitidem « finxerunt, quidam vero, decentius quid « animo concipientes, regium appellaverunt sermonem, sponsam volentes esse « populum, sponsum regem: ideo necessarium esse duximus, ut falsas ac perniciosas istorum opiniones confutemus.”

Haec *Theodoreti* verba, ac magis cen-

sura gravis, contra *Theodori Mopsuesteni* exegesisin a patribus dicti Concilii prolata, manifesto docent, id quod ante dixi, doctores christianos antiquos de sacro ac spiritali amore hoc Canticum exposuisse, atque summopere perhorruisse relationem ejus ad humanarum nuptiarum amores. Idem sensisse magistros Judaeorum, ostendi supra.

Recentiores interpretes, nempe a saeculo xvi aut xvii et deinceps, quod attinet, eorum plurimi eandem cum antiquis sententiam secuti sunt; alii mediam quandam viam tenere maluerunt; alii autem eandem prorsus, ac *Mopsuestenus*, viam insistendam esse censuerunt.

Ex iis, qui mediam viam tenuerunt, initam dudum ab *Isidoro Clario*, *Franc. Vatablo*, *Ludov. Soto* aliisque catholicis interpretibus, eminet maxime *Jac. Benignus Bossuet*. Quaenam haec media via sit, quam secutus est, dicam verbis ejus Praefat. in Cant. n. 2: « Salomon, inquit, se  
« castosque suos erga filiam Pharaonis af-  
« fectus in exemplum producit. Dumque  
« in vera historia ea fingit, quae flagran-  
« tissimo amori congruant; describit aptis-

« sime sub elegantissimae fabulae involu-  
 « cris coelestes amores, Christique et ec-  
 « clesiae conjunctionem canit,» etc. Alii  
 differunt ab hac expositione in eo, quod  
 aliam filiam volunt esse sponsam. Incer-  
 tus de ea, deque rempore historiae est  
*Ludov. Soto*, censens Salomonem alludere  
 ad aliquam historiam et ad aliquos veros  
 corporum amores, eosque seu praesentes,  
 seu praeteritos, seu filiae Pharaonis, seu  
 alicujus alterius reginae, prae ceteris di-  
 lectae. Vestigiis Bossueti insistit *Calmet*  
 aliique plures; atque is quidem vere mo-  
 net, neutiquam in Concilio Constantinop.  
 2do improbatos seu damnatos fuisse inter-  
 pretes, qui sensu literali ac historico ad-  
 misso, spiritualement maxime praeferunt,  
 suamque interpretationem Christo et eccle-  
 siae accomodant.

Alii recentiores expositores in partes  
*Mopsuesteni* concedunt. Non procul ab  
 iis, si non verba, sed rem ipsam spectes,  
 abest *Grotius* Praefat. in Cant.; aperte eas  
 tenet *Joh. Clericus* in *Judicio de Rich. Simon*  
*Hist. Crit. V. T. epist. 12*, easdem-  
 que sequuntur *Herder*, *Michaelis* plures.



que alii exegetae novissimi ex protestantium numero.

Hucusque historica ratione retuli tres has exponendi methodos, quarum una, eaque antiquissima, simpliciter ac directo omnia interpretatur de amoris vinculo inter Messiam seu Christum ac synagogam seu ecclesiam; alia, eaque inchoata a *Mopsuesteno*, post abjecta, ac dein resuscitata, simpliciter aequae ac directo cuncta exponit de conjugii humani castis amoribus; altera utramque attingit, atque hanc cum illa per allegoricam explanationem conjungit.

Ex his tribus methodis, quaenam sit convenientior ac verior, si constituere velimus; oportet, ut nos in tempora antiqua, quibus vixit Salomon, nempe circiter mille annos ante Christum natum, animo transferamus, itemque in illas terras hominesque orientales, in quibus vivebat, utque mores et instituta, formam cogitandi quae tum erat, ac cogitata signandi et proponendi diligenter expendamus. Haec enim qui ignorat, ac ad nostra instituta referre et aestimare scripta antiquissima volet, is perperam ageret. Ergo *primum* generatim indagandus est populorum anti-

quorum Orientis mos sentiendi ac sensa animi significandi, praecipue in rebus divina spectantibus: *dein* an Hebraei eundem morem tenuerint, inquirendum tum exemplis veteris tum novi testamenti: *porro* videndum erit, an eum morem sequi, a Salomone alienum fuerit, nec ne: *demum* inspiciendum est, an ipsum Canticum sit ejus indolis et structurae, ut appareat, ad eum morem id compositum esse: *postremo* ex omnibus his perpensis conclusio formanda est, quam expositionem Cantici veriore seu solam veram esse statuas.

Vides, latum hic inquisitionis campum aperiri, eumque non apertum nec emetiri facilem, in quem tamen, ab aliis quod sciam in explanando Canticum non satis pervestigatum, introire operae pretium esse censeo.

#### 4. *De variis apud antiquos populos institutis semioticis.*

Semiotica instituta voco illa, per quae alteri, etiam non praesenti, res aut animi sensa signis (σημείοις) patefacere volumus. Varia haec fuisse populis antiquis, ac va-

rios ab uno ad aliud progressus, docent ii, qui res archaeologicas curatius scrutati sunt. Primo scilicet homines quando quid a quodam factum esse indicare volebant, figuram seu imaginem rudiores ejus hominis et alterius si opus erat, interdum una cum formis significativis exhibebant. Sic exempli gratia hominem delineantes stantem ac manu tenentem cultrum, juxtaque hunc alium humi prostratum, significabant, hunc ab illo esse occisum. Sic virum in nave stantem repraesentantes, exprimebant, cum ex aliis trans mare terris advenisse. Ubi dein proprietates animi, oculis non conspicuas, insignire volebant; adjungebant formae hominis imaginem alicujus rei, praecipuae animalis, cui haec proprietas maxime inerat. Sic fortitudinem aut velocitatem hominis signabant, dum formae hominis appingebant leonem, aut alas homini addebant. Deinceps simpliciores ac breviores reddebant eam notationem rerum, dum aut ex effectu, aut ex partibus, aut ex aliquibus adjunctis totum significabant. Sic fumo depicto signabant incendium; sic obsidionem urbis aut expugnationem scala muris admota.

Sic certamen bellicum duabus adversis manibus, una clypeum, altera tenente arcum. Sic dextera manu expansa et protenta largitatem ac copiam, sinistra contracta tenacitatem ac inopiam. Postremo figuras has lineis paucioribus ac magis informibus exponere incipiebant.

Haec quae dixi, fusius exposita sunt a *Goguet* in opere: *De l'origine des loix, des arts et des sciences chez les anciens peuples*, T. 1, L. 1, Ch. 6, ubi haec instituta semiotica docet usitata fuisse Aegyptiis, Phoenicibus, Assyriis, Indis, ac aliis antiquissimae aetatis populis; ac de Mexicanis inter alia haec refert: quum ad litus appulsas esse naves gentis alienigenae compererant, regi suo Montezuma id significarunt, missa ad eum magna tela, in qua figuris quodcunque viderant, hominum, navium aliarumque rerum formas expresserant.

Idem auctor *Goguet* aliique docent, homines demum eo paulatim pervenisse, ut signis ac figuris exaratis non jam res ipsas, sed vocabula ore prolata, quibus has res nominabant, exprimerent. Hanc scripturam tradunt primo fuisse eam, qua to-

tum vocabulum aut ejus partes seu syllabas notarent figuris quibusdam; dein eam, qua partes syllabarum seu sonum quemvis articulatum seorsim exprimerent formis seu, ut nos dicimus, characteribus alphabeticis. Quando id fieri coeptum sit ac quo auctore, id ignotum esse nobis asserunt. Etiam nec id satis exploratum est (conf. *Indian Antiq.* t. 7. p. 570 etc.), an juxta eum ordinem, quem tradit *Goguet*, diversa scribendi genera reperta sint.

Illud tamen, quod ad rem, quam agimus, spectat, certum omnino est, inventis characteribus alphabeticis, admodum diu apud plures populos viguisse morem, per figuras exaratas, per symbola seu hieroglypha res personasque ac earum proprietates signandi. Quem morem plenius exponere, ad instituti nostri rationem pertinet.

### 5. *De antiquorum Symbolis ac Hieroglyphiis.*

Symbolica per rerum ipsarum formas signatio perseverabat diutius, seu quod illi assuetae erant mentes oculique hominum; seu quod minus feriunt animos, ac minus

B

inhaerent memoriae, ea, quae nudis, cum ipsa re significata nil proprium habentibus literis alphabeti traduntur; seu quod primaevae adhuc linguae admodum inopes erant nominum, quae abstractas seu absolutas rerum, imprimis spiritualium, animique humani proprietates, satis bene exprimerent.

Accedit et haec ratio: plures populi, praecipue orientales, amabant, ea quae ad Deum divinaque ac religionis instituta, aut ad rerum mundanarum originem conditionemque pertinent, symbolicis notis indicare. Idque eo magis fecisse videntur, tum quoniam sic majorem eis venerationem conciliari putabant, tum quoniam ita sacratae magis continebantur scientiae istae, hoc involucro tectae, nec vulgari scriptura proditae. Ex quo patet, cur ea symbolica signatio dicta sit *hieroglyphica* aut *hierographica* i. e. sacra sculptura seu scriptura; aut dicta sit *arcana* et *mystica* scriptura. Vocabulum  $\gamma\epsilon\alpha\phi\eta$  scriptura hic sumitur eo sensu, quo interdum occurrit  $\gamma\epsilon\alpha\phi\epsilon\iota\nu$  scribere, scilicet pro: *efformare*, *sculperre*, *incidere*, velut dum latine dicitur: scriptus et aeterno Jupiter auro.

Juvabit multum ad rem, quam tractamus, aliquot hieroglyphia, praeprimis quae res divinas signant, in medium producere.

Exhibebant mundi formationem per imaginem hominis aut serpentis, ex cujus ore prominebat ovum; harmoniam rerum conditarum per trianguli aequilateri aut rectanguli formam; animam mundi per effigiem serpentis cum capite falconis, aut per sphaeram serpente circumdatam, aut per circulum, cui inerat serpens protensus; fertilitatem terrae, aut Nili in Aegypto, per formam reginae Isis, manu tenentis situlam aquae; inconstantiam ac vicissitudinem rerum humanarum per rotae picturam; mundum ejusque ortum per figuram navis, quae ferebatur aquis, una cum rectoribus septem, ac collustrata lumine.

Plura ejusmodi hieroglyphia suggerunt *Jablonski Panthaeon Aegypt.*, aliique auctores, antiquissima populorum monumenta investigantes, inprimis illi viri eruditissimi ex Anglorum gente, qui degentes in ipsa India, ad investigandas Orientis antiquitates societatem literariam iniverunt, ac easdem libris pluribus in lucem editis illustraverunt, velut *Asiatic Researches*, or

*Transactions of the society instituted in Bengal for inquiring into the history, antiquities etc. of Asia.* London (primum Calcuttae) a. 1798 etc. Vol. I—VII. Dein *Indian antiquities* etc. (auctor est Maurice) London 1793 etc. Vol. I—VII; ac ejusdem auctoris *History of Indostan.* Ib. 1795, Vol. I—II. Es hisce operibus, in mea disquisitione saepe laudandis, expediet, quaedam symbola proponere.

*Ganesa*, Deus sapientiae apud Indos, exhibebatur habens caput elephantis (symbolum sagacitatis) ac penes se glirin (quod animal habebatur providum ac sapiens). Idem hic Deus (*Janus* dictus Romanis ac Hetruscis) pingebatur etiam habens capita duo seu quatuor, quae emblemata erant prudentiae ac circumspeditionis. As. Res. t. 1. p. 226.

Divinitatis attributa variis symbolis exhibebant Indi, nempe sapientiam circulo ex capitibus humanis formato; vires elephantis; gloriam cornibus, radios solares imitantibus: producendi varia facultatem animalibus admodum prolificis, veluti bove, aut capra; unitas dein et sapientiam et vires ac productivam facultatem unitis his



animantibus seu eorum partibus quibusdam. Ind. Antiq. t. 3 p. 355.

Apud Aegyptios malum ac bonum principium rerum in condendo mundo repraesentabatur duobus serpentibus, in altum contra se erectis, ac torve se intuentibus, quorum unus, bonum principium signans, ore tenet ovum, originem rerum indicans, quod alter ei extorquere nititur. Ind. Ant. t. 4 p. 731.

Idem Aegyptii *Cnephum*, supremum ac increatum Deum, symbolice signabant figura quadam humana coloris subfusci seu nigricantis, tenente manu zonam ac sceptrum, ac pluma caput ornatum habente, ex cujus ore ovum prosilire videbatur. Sic juxta Clementem Alex. traditur in Ind. Ant. t. 4 p. 672. Aliud symbolum Japonensibus frequentatum, admodum memorabile adfertur ab eodem *Maurice* in Hist. of Indostan t. 1 p. 64. Specioso in templo conspicitur taurus ex auro formatus, insignis torque aurea ac lapidibus pretiosis, qui cornibus quatit ovum, natans in aquis abyssi, qui que tenet pedibus anterioribus id ovum, dum posteriores pedes immersi sunt inter lapides pulveremque ac

aquam. Non procul adsunt duo viri prostrati ac adorantes. Tauro signari vim numinis productivam, ovo rerum originem, aqua ac pulvere chaos primaevum, docet idem ib.

Erant et hieroglyphicae repraesentationes admodum concretæ, ex figuris plurimis constantes. Tales auctores angli producunt, talem et *Goguet* t. 2 p. 772 profert, eamque nequidem integram, sed solam partem superiorem. Haec has sistit figuras ordine juxta se locatas: Prima est sol radians, habens et alas, vectus curru ac equis quatuor, vehementer agitatæ ac respicientibus ad quatuor plagas mundi. Juxta currum nudus homo, quem serpens quatuor spiris illigat a capite ad calcem. Dein arae tres incensæ, interque eas tres amphoræ ingentes. Porro homo alius serpente cinctus, uti primus. Tum arae quatuor cum totidem amphoris. Demum luna in curru suo, cui juncti duo equi vehementer agitati. — Haec figura repraesentat astra coelestia eorumque conversionem, seu est mysterium ac symbolum *Mithrae*, cujus nomine insigniebantur sol ac astrorum ordo. Id de *Mithra* ex *Celso* refert

*Origenes* L. vi contra eund. c. 22; idem confirmant plures eruditi.

## 6. *De antiquorum symbolico loquendi genere.*

Symbolicum dicendi genus distat in eo solo a repraesentatione hieroglyphica, quod haec rem similem formis expressam ob oculos ponat, illud rem eandem verbis propositam audientium auribus ingerat. Quare promptus est ab hac ad illud transitus, ac facile patet, utriusque usum simul junctum ac vulgarem esse potuisse. Accedit et illud, quod populorum antiquorum, maxime orientalium, vivido ingenio ac animo ferventiori valde conveniebant ejusmodi locutiones symbolicae aut metaphoricæ, quodque et eadem subtilitatem ingenii in applicanda similitudine exercebant, ac quod res graves, imprimis divinas, sub involucro obscuriore, adeoque cautius magis aut mysteriosius, significabant.

Varia erant genera ac varia nomina horum symbolorum. Vocabantur *parabola*, *allegoriae*, *strophæ* (a στρεφω, verito, quod verterent seu inflecterent significatio-

nem sermonis), *paroemiae* quoque (i. e. uti *S. Basilius* exponit in *Prov.*: *Paroemia* est sermo sub umbra figuraque idonea expressus, multum gravitatis complectens, ac in recessu multum altae sententiae contegens), demum *aenigmata*, i. e. allegoriae obscuriores, unde et *mystici* sermones dicebantur. *Origenes* *Comment.* in *Prov.* dicit: Aenigma esse expositionem rerum quasi gestarum, quae factae non sunt, neque fieri potuerunt, quaeque arcanum aliquod obscure significant.

Ex his symbolicis sermonibus expediet quosdam producere, ad res divinas imprimis seu theosophiam pertinentes, maxime ad eam conjunctionem, quae est inter Deum hominesque.

Generatim de omni philosophico ac theosophico antiquorum sermone monet *S. Cyrillus*, eum symbolicum ferme semper esse. Isque *L. 9* contra *Julianum* refert haec aliaque symbola seu aenigmata *Pythagorae*, antiquissimi *Graecorum* philosophi: *Deorum imagines in annulis ne feras* i. e. sententiam et sermonem de Diis ne facile manifestes et divulges. *Ne ignem gladio fodias*, i. e. impudentem et iratum animum

ne commoveas. *Coronam ne vellices*, i. e. leges ne offendas, quae coronae civitatum sunt. *Non suscipiendas esse hirundines in domum*, hoc est, loquaces et impotentis linguae homines non esse faciendos contabernales.

Horum aenigmatum usum familiarem antiquis fuisse, saepe testatur *Clemens Alex.*  
 « Omnes, inquit Strom. L. v, qui de re-  
 « bus divinis tractarunt tam Barbari quam  
 « Graeci, rerum principia occultarunt; ve-  
 « ritatem aenigmatibus signisque ac sym-  
 « bolis et allegoriis et metaphoris, et qui-  
 « busdam talibus tropis modisque tradide-  
 « runt . . . . Innumera invenimus tam  
 « apud philosophos quam poetas dicta  
 « aenigmaticae; imo etiam toti libri praefe-  
 « runt abditam scriptoris mentem et sen-  
 « tentiam. »

Plato quoque, ut constat, symbolica dictione saepissime, dum de rebus divinis agebat, usus est. Is, uti et Pythagoras, hunc loquendi morem, ac dogmata pleraque mutuati sunt a theosophis orientalibus. Pythagoras quidem discendi causa profectus est usque in Chaldaeam ad magos seu philosophos; Plato adiit Aegyptum ac

sacerdotes seu prophetas, qui ibi erant; idemque consuluit Pythagorae discipulos in Italia degentes. Utriusque placita summam cum Orientalium theosophia affinitatem habent. Confer As. Researches t. 1, p. 425, ac *Prideaux* t. 1, L. 4 operis anglie scripti de nexu v. T. cum historia profana.

Quapropter adeamus ad fontem, ex quo hi Graeci hauserunt, et accuratius inquiramus in theosophicam doctrinam ac loquendi rationem Orientalium, praecipue Indorum et Persarum, quippe a quibus ad Aegyptios aliosque vetustior doctrina manavit, ut passim docent scriptores britanni saepius laudati.

De hisce Orientalibus, Indis praecipue, haec praemonenda sunt, primum: libros plerosque eorum theosophicos aut superare aut accedere ad aetatem Salomonis, uti non uno loco ostendunt opera dicta Britanorum. Secundo: tenendum est, id quod jam ante dixeram, ac pluribus confirmant eruditi, velut *Maurice* Ind. Antiq. t. 2, p. 297 (ultimo loco, cum bis per errorem numerentur paginae 290 etc.) « Indoles, » inquit, antiquitatis amabat locutionem

« mysteriosam . . . . Theologia horum sa-  
 « pientium velata erat allegoriis ac hiero-  
 « glyphiis, etiam philosophia eorum invo-  
 « luta erat serie symbolorum.” Tertio :  
 antiquissimi Indi, Persae aliique, secuti  
 eandem quam Hebraei primaevam traditio-  
 nem, unum Deum auctorem omnium ve-  
 nerabantur, quem ac cujus attributa sub  
 variis symbolis repraesentabant; verum pau-  
 latim posteriores coeperunt, symbola haec  
 ipsa, aut opera vim divinam manifestan-  
 tia, uti solem et stellas, pro Diis habere  
 ac honore divino prosequi. Utrumque tum  
 auctores britani, quos dixeram, tum *Ples-*  
*sing* in libro teutonico Memnonium (t. 1  
 et 2 passim. Leipz. 1787) tum alii plures  
 luculenter demonstrarunt.

His ergo tribus capitibus praemissis,  
 accedamus ad ea, quae magis ad proposi-  
 tum, quod versamus, pertinent, nempe ut  
 doceamus: ab antiquissimis Indis, Persis  
 aliisque conjunctionem amoris inter Deum  
 hominesque adumbrari solitam fuisse per  
 amorem mutuum ac conjunctionem huma-  
 nam, imprimis inter sponsum sponsamque.

7. *Amor desponsatorum mutuus symbolum amoris divini apud antiquos, imprimis Orientales.*

Generatim de omni mystica hac theosophia Indorum et Persarum haec docet praeses societatis Indicae eximius vir Jones in *Asiat. Researches* Vol. 2, p. 62: « Non-  
 « nulla, inquit, referam de theologia me-  
 « taphysica, quam ab omni retro antiqui-  
 « tate secuti sunt Indi ac Persae, quaeque  
 « ab his venit partim ad Graecos ac serio-  
 « res Persarum Sophos, quibus nomen est  
 « *Sufis*. Horum haec sunt placita: Nihil  
 « vere existere praeter Deum; hominis  
 « animam manavisse ab essentia Dei, eo-  
 « que redituram esse; summum ejus bo-  
 « num fore in unione cum Deo; in hoc  
 « mundo caduco felicitatem ejus consistere  
 « in tam arcta cum Deo unione, qualem  
 « quantamque humana fragilitas patitur;  
 « pulchritudine quidem terrena ac humana  
 « hominis animam affici; verum ideam  
 « coelestis pulchritudinis esse talem, ut  
 « eum totum trahat ad se, ac prae nimia  
 « dulcedine extra se rapiat; cumque de-  
 « sint apta verba ad exprimendas perfec-



« tiones divinas, ardoremque piaē devo-  
 « taeque mentis, ejusmodi locutiones assu-  
 « mendas esse nobis, quae magis se insi-  
 « nuant in affectus nostros, ideoque lo-  
 « quendum esse nobis de pulchritudine  
 « humana, venustate, amore in significa-  
 « tione spiritali et mystica, relata ad Deum  
 « et divina. — — Haec est, pergit *Jones*,  
 « religio, hic pietatis sensus ac sermo apud  
 « posteriores Persas, amocnum *Hafiz*,  
 « sublimemque *Mulavi*; idemque est apud  
 « lyricos Indiarum poetas ac theosophos,  
 « qui *Vedanti* vocantur; eademque my-  
 « stica loquendi ratio ab antiquissimis tem-  
 « poribus obtinebat in utroque hoc populo  
 « Indorum et Persarum.”

Vol. tertio dicti operis idem praeses *Jones* p. 369 et seqq. prolixam dissertatio-  
 nem orditur *de mystica poesi Persarum ac*  
*Indorum*. Ex hac dissertatione satis sit haec  
 proferre. Est quaedam allegoria amoris  
 mystice religiosi, quae etsi primo intuitu  
 nil nisi voluptatem et libidinem sapere vi-  
 deri possit, tamen congrua et naturalis  
 est pietatis in Deum affectui ardenti ac  
 phantasiae commotiori, Aestus enim pie-  
 tatis convenit illibatae hominis naturae,

cujus mens, connitens affectus vim promere, ac ejus magnitudine quasi oppressa, erumpit in metaphoricas ac allegoricas locutiones, quas interdum ultra modum sobriae rationis protendere videtur . . . . .

Persae itemque Indi intimam illam unionem, quae sit inter Deum hominesque, proponunt sub imagine contractus nuptialis aut sponsalis. Quippe Indi considerant Deum sub triplici nomine Creatoris, Regeneratoris ac Servatoris; ac assumunt, vim ejus salvificam et benevolam induisse humanam formam in persona *Crishnae*, quem sibi repraesentant ut sponsum aut maritum *Radhae*. Haec vox, proprie valens *redemptionem*, *pacificationem* aut *satisfactionem*, allegorice transfertur ad hominis animam, aut potius ad omnes animas hominum, inter quas ac beneficium creatorem statuunt mutuum esse amorem, quem verbis summum amoris velut terreni aestum spirantibus exprimere solent. Hunc pietatem erga Deum significandi modum sectantur plerique vates Asiatici prisci ac recentiores. Is, cui nomen *Mulavi*, affirmat, a se aliisque summos desiderii aestus sic exprimi, absque ulla affectione carnali;

calicem sibi propinari, non materialem illum; cuncta in ejusmodi scriptis suis esse spiritualia, cuncta mysterium super mysterium . . . . Dein *Jones* nominat plures ex Persarum vatibus, methodo hac mystica utentibus, velut *Saib*, *Orfi*, *Jami*, *Hazin*, *Sabik*, *Hafiz*, *Sadi*, aliosque. Ex libro, qui dicitur *Bustan*, quique manifesto divinum amorem aenigmatice signat, haec profert, quae, quem sensum habeant ejusmodi poemata, docent: « Sapiens non sec-  
 « tatur corticem loco nuclei; quod qui fe-  
 « cerit, is desipit. Ille solus purum unio-  
 « nis vinum hausit, qui Deo soli inhae-  
 « rens, omnium aliarum rerum mundi  
 « utriusque oblivionem cepit.” . . . . De vate Persico, quem ante dixi, celebri illo *Hafiz*, olim modo egerat *Jones* in Commentariis poeseos Asiaticae (recusis in Germania cura *Eichhorn* Lipsiae a. 1777) ibique L. 3, c. 9 seu pag. 181 huj. edit., de mystica carminum ab *Hafiz* compositorum significatione disputaverat, prolatis argumentis eam tum negantibus tum affirmantibus, ipsemet dubius haerens. Verum deinceps, degens in ipsa Asia, indolemque scriptorum ac vatum Asiaticorum magis callens,

affirmat, scripta Hafizi in duo genera esse dispartienda, unum certe eorum mystici argumenti esse, quamvis aliud amores terrenos spirare sibi videatur. Sic *As. Res.* T. 3, p. 363 etc. Confer, si placet, *Herbelot Bibl. Orientale* sub voce Hafez. Quod vero Rosenmüller, omni rationi mysticae iniquior justo, talem *Hafizi* intellectum in scholiis ad Ps. 45 respuat, nil moror.

Demum *Jones* ib. p. 374 etc. redit ad libros Indorum, dictos *Bhagavat*, qui ipsi pars sunt librorum *Mahabbarat*. Antiquissimi sunt hi libri, non multum post annos mille et quingentos ante Christi Domini nativitatem scripti, adeoque ante Salomonis aetatem. Confer *As. Res.* t. 2, p. 370, ac *Hist. of Indostan* t. 2, p. 255. — Amores *Chrishnae* ac *Radhae*, sive mutui amoris vinculum inter Deum beneficum ac humanam animam copiosius adumbrantur in libro decimo hujus carminis *Bhagavat*, suntque quasi drama pastorale, inscriptum *Gitagovinda*, ac compositum ab auctore *Jajadeva*. Totum hoc drama anglice redditum est ab *Jones*, omissis locis quibusdam nimis luxuriantibus, ac pro ingenio Europaeorum justo liberioribus. Haec trans-

latio implet paginas a 376 usque ad 404.

Poematis argumentum hoc est: Radha, memor deliciarum, quas dum secum erat dilectissimus Crishna perceperat, ardet absentis desiderio. Audiens a comite sua, eum nunc aliarum consortio frui, moeret, angitur zelotypia, absentis formam ac venustatem semper animo versans. Solatur eam pedissequa, spem facit, fore ut iterum propitius sit, hortaturque ut ipsa ad illum accedat. Verum ob amoris impatientiam aegra animo et corpore, id facere non sustinet. Tum vero ipse dilectus ad eam venit, blandis verbis alloquitur, ac utriusque suavitate mutui amoris fruuntur.

Haec omnia amplificantur sermocinationibus satis prolixis, descriptionibus amoenissimis, comparisonibus pluribus ac insolentioribus, hyperbolis audacioribus, verbis denique pro more Orientalium liberioribus, quaeque summum amoris ardorem spirant. Adsunt tamen quaedam, quae mysticum hunc esse amorem significant, quod etiam satis aperte auctor *Jayadeva* monet, dum in fine addit: « Quodcunque divinum est in meditationibus de *Vischnu*

« (i. e. Deo summo), id sapientes et beati  
« discant ex hisce canticis.”

*Maurice* in *History of Indostan* plura profert loca, ex quibus apparet, eundem mystici amoris intellectum inesse pluribus Indorum mythologicis narrationibus. In Vol. 2 vitam et gesta *Christinae*, divini servatoris ac pacificatoris refert, ac generatim haec de mystico hujus antiquae narrationis sensu monet p. 258: « Idem sensus inest illi, ac canticis allegoricis *Hafizi*, pietatem rebus sensitivis adumbrantibus, dum animus, summo entusiasmo amoris abreptus, quaerit in rebus terrenis maxime amoenis, imagines et colores, quibus sibi Deum repraesentet, ac aestum affectus religiosi promat. Sic, verbi causa, *Hafiz* advocat metaphoram insolentiosem: *vinum devotionis*; atque de beatitudine amoris erga numen summum loquitur cum eodem animi motu, ac ferme iisdem verbis, quibus amores terrenos proderet. Ea sermonis forma quamvis offendat sensus hominis Europaei, familiaris admodum est theosophis Asiaticis.” Dein p. 357 refert, narrare sacros Indorum libros: *Gopias* (virgines

ruri viventes) lusisse cum dilecto *Chrishna* choraeis ejusmodi, quae lascivae videri possint; verum moneri in ipsis his libris, delicias hasce mutuas esse mysteriosas ac symbolicas, cum suavitates amoris divini nuda verborum proprietate exponi satis non possint. De iisdem *Gopiis* p. 348 narratur, eas pelago amoris obrutas fuisse, formam suavissimam *Chrishnae* stupentes exclamasse: Felices nos, quas amare dignatur! atque earum mentes prae puritate fidei ac fervore affectionis demum lumine interno collustratas fuisse ac percepisse, quocum versatae sint, *Chrishnam* esse creatorem mundi. Demum p. 380 legitur, in *Veda* libris (sacris et antiquissimis) pronuntiatum esse, ter beatum fore eum, qui ad usque mortem memor sit *Chrishnae* . . . *Chrishnam* esse unum ex iis, qui emanarunt ab illa tremenda potestate, quae creavit cuncta, conservat aut destruit . . . . Eum esse habendum ut patrem, filium, maritum, uxorem, fratrem, ac quodcumque inter homines nomen charissimum est, cum ipse centrum sit omnium, atque extra ipsum nihil vere existat.

Patet ex his, quae hucusque protuli,

unionem sacram inter homines ac Deum sub mysticis involucris amoris terreni, seu deliciarum sponsalium aut nuptialium, ab Indis Persisque antiquissimis repraesentata saepius fuisse. Etiam de poematibus *Hafizi* id nuper a. 1804 in consessu solenni societatis Indicae, quae est in urbe Calcutta, publice propositum ac demonstratum est, eadem in sensu figurato ac mystico intelligenda esse. Id relatum legi in *Diario politico*, (Politisches Journal. Hamburg a. 1808 Monat Jul.)

Operosum foret, omnia priscis usitata emblemata, ad conjunctionem inter numen summum ac animas creatas signandam, uberius recensere. Quaedam paucis adungere sufficiat, indicatis auctoribus, qui ea amplius pertractant. Summi numinis amorem sub persona symbolica sistebant Indi, nominantes eum *Cama*. *As. Res.* t. 1, p. 223, item *Hist. of Indostan* t. 1, p. 58, ubi dicitur: « Docet nos Indorum liber « *Sastra*, affectionem seu amorem (qui « certe idem est ac Graecorum *Eros* amor, « cupido uranius) fuisse cum Deo ab « aeterno." Divinis personis etiam uxores jungebant Indi, indigitantes vim numinis



affectuosam ac productivam. *Ind. Antiq.* t. 5, p. 850 et 933. Idem constat factitatum esse ab Aegyptiis, quibus erat *Osiris*, pater supremus rerum temporisque, ac *Isis*, dilecta illi rerum natura. *Ind. Antiq.* t. 4, p. 632; *As. Res.* t. 1, p. 253, ac t. 3, p. 141 et 144; item *Herder älteste Urkunde* t. 1, p. 218 etc. Tübing. a. 1806, ac p. 231 et p. 335. Adde *Plessing Versuche zur Aufklärung der Philos. des Alterthums* t. 2, part. 2, p. 1020 etc. Imo *Sy-nesius* episcopus Cyrenensis hanc de *Osi-ride* et *Isi* historiam omnem amplissime exponit, ut allegoricam notationem providentiae divinae. *Mithram* quoque Aegyptii habebant, velut mediatorem inter numen summum hominesque, de quo symbolo pluribus agit *Plessing in Memnonium* t. 2, p. 412, 420, 449.

Ab hisce Orientalibus ea symbolica ratio manavit ad Graecos antiquiores, etsi postmodum ab illis saepe liberius, aut licentius ac lascivius tractata. Erat et illis Deus *ἔρως amor*, qui et *Cupido* dictus est, ac quidem *ἔρως* ille *uranios* (coelestis) qui postea in *Cupidinem* carnalem depravari coepit; erat et *Venus urania*, antiquis ad-

modam venerata, etsi a junioribus, poetis praecipue, in sequiorem sensum transducta. Confer *Plessing Versuche* etc. t. 2, part. 2, p. 989 etc., ac *Memnonium* t. 2, p. 420. Imo erat et Graecis illis amplissima narratio mythologica de amore mutuo Cupidinis ac Psyche (animae); quae narratio summam habet similitudinem cum Indica illa symbolica de Chrishna ac Radha, quam supra retuli. *Maurice* graecam hanc satis notam narrationem exhibet contractiorem in t. 5 *Ind. Antiq.* p. 1023 seqq., eamque ex indica origine profectam ac totam mysteriosam esse habitam comprobat.

Demum adjungamus nonnulla ex iis, quae de *eros* seu amore, tamquam mystico quodam philosophemate, praeclare scribit *Plato* in *Convivio* t. 10 ed. bip. p. 229 seqq.: *Eros* est medium quid inter mortale ac immortale. Interpretatur et trajicit humana ad Deos, divina ad homines. Eo mediante commercium omne ac colloquium inter Deos hominesque conficitur. Est autem filius *Πενίας* (paupertatis) ac *Ποῦς* (largitoris bonorum); adeoque ipse pauper est et indigus juxta matris naturam; juxta patris, pulchris et bonis inhiat, virilis, au-

dax et vehemens. Est autem amor hic appetitio, qua bonum sibi quis semper adesse desiderat; quare necesse est, eum una cum bono immortalitatem appetere; atque amorem esse immortalitatis desiderium. Dein addit Plato: gradibus quibusdam eniti amorem, dum a corporibus ad animas se extollit, dum quod in moribus ac indole pulchrum est, perspicit et diligit, dum a pulchris moribus ad doctrinas pulchras convertitur, dumque ad eam doctrinam pervenit, quae est ipsius pulchri cognitio, atque ita demum, quid ipsum pulchrum sit, contemplatur. (Platoni summus Deus est ipsum pulchrum.) Quod si quis contemplatus fuerit, eum summa frui beatitudine, humana omnia parvi pendere, imo, si fieri posset, cibo potuque neglecto, contemplationi hujus unius pulchri unice inhaerere, nihil aliud quam id intueri, eo solo felicem beatumque.

Ex his, quae dixi in hoc et praeced. num., manifestum est, familiare fuisse orientalibus populis, sub significationibus mysticis, sive eae figuris hieroglyphicis, sive verbis et enarrationibus proponantur, res divinas humanasque ob oculos ponere;

ac speciatim unionem piam inter Deum hominesque, vim ejus ac proprietates sub fictionum mythologicarum emblemate proponere, atque id interdum narratione admodum proluxa, multis rerum ac personarum adjunctis, vicissitudinibus et affectionibus distincta. Haec an prisci illi paulatim ultra verum ac decorum ampliarint aut corruerint, aut denique symbola rerum Deique proprietatum pro diis habuerint ac ut idola coluerint, id ad rem, quam nunc agimus, non pertinet, cum de solis signis aut symbolis, quibus animi sensus proponere solebant, hic sermo sit.

Reliquum est, ut inquiramus, an et Hebraei antiqui, quos inter Orientales nominare consulto distuli, hunc morem tum hieroglyphicorum signorum tum narrationis symbolicae secuti fuerint. Illōs ab eo, semota tamen per puriorem avitae traditionis observantiam specie idololatræ, non omnino discessisse, per semet verosimile est, cum is mos summae antiquitatis sit ac familiarissimus orientalibus, cumque sensus animosque fortius percellat, atque fervidis orientalium ingeniis maxime conve-

niat. Argumentis insuper historicis idipsum commonstremus.

8. *Hebraeis etiam hieroglyphicae erant figurae.*

Quis est, qui ignoret formam illam hieroglyphicam, saepius in V. T. obviam, arcae foederis jussu Dei impositam, ac in templo Salomonico variis locis conspicuam, puto *Cherubim*? Imagines erant aureae, quarum corpus instar hominis erat, habentes caput conflatum ex quatuor faciebus, hominis, bovis, leonis et aquilae, alas instar aquilae, ac pedes bovis seu vituli. Lege Exodi xxv, 18 etc., Ezechiel. i, 5—10 ac x, 14—20. Hoc emblemate significabatur Dei imperium in creaturas omnes, simul et perfectiones summo huic imperatori propriae, sapientia, constantia, vis summa ac celeritas, faciebus quatuor horum animantium adumbratae. In visione Isaiae vii oblata alis tegebant corpus suum in symbolum summae reverentiae; praeterea in Ezechielis visione magnificentissima c. i et x erant velut ignis ardens, erantque plena oculis, ad indicandam Dei pro-

videntiam omnia contuentem ac pravos  
ulciscentem severissime. Fusc de hoc em-  
blemate agit praeter alios *Maurice Ind.*  
*Antiq.* t. 4, p. 594 ac seqq.

Ad repraesentationes aenigmaticas etiam  
pertinet scala Jacobo patriarchae visa, *Gen.*  
28, 12: « Vidit in somnis scalam stantem  
« super terram, et cacumen illius tangens  
« coelum, angelos quoque Dei ascenden-  
« tes et descendentes per eam. » Hoc sym-  
bolum quid valeat, evidens est: terrena  
coelestibus contineri, providamque Dei  
cuncta moderantis curam notabat Jacobo,  
ob iram fratris profugo in terras longe  
dissitas.

Formam quoque symbolicam gerebat  
serpens aeneus in deserto jubente Deo erec-  
tus a Moyse, de quo *Num.* 21, 9 legimus:  
« Fecit Moyses serpentem aeneum, et po-  
« suit eum pro signo, quem cum percussi »  
(vulnerati a serpentibus ignitis) « aspice-  
« rent, sanabantur. » Hic serpens, in al-  
tum elatus, tamquam vi sua nociva priva-  
tus, innuebat serpentem illum, qui proto-  
parentibus eorumque posteris auctor existi-  
terat mortis et aliarum plagarum, quique  
per semen mulieris conterendus ac vi sua

privandus erat. Quum symbolum hoc, fassi se peccasse, rogantesque veniam (v. 7), intuebantur; fide in liberatorem concepta sanabantur. Hanc esse hujus symboli relationem, docemur verbis Christi Domini Joh. 3, 14.

Hieroglyphicis imaginibus etiam recte accensentur visiones plures aenigmaticaе prophetis oblatae sub speciebus diversis, quamvis illae formis materialibus expressae non erant, nec unquam exprimendae. Hoc ne fieret, vetitum erat lege Mosaica ob praesens periculum cultus idololatrici. Hinc paucissima erant Hebraeis symbola, manu hominum facta, neque omnino ulla, quae Deum aut creaturas obferebant, nisi illa, quae Deo jubente facta ac partim in locis sacris abdita erant, velut Cherubim ac serpens aeneus.

### 9. *De symbolico amoris sponsalis seu conjugalis significatu apud Hebraeos.*

Frequentissimum erat illis hoc symbolicum, mysticum, allegoricum genus loquendi. Utebantur eo tum in singulis ver-

bis ac sententiis, tum in orationibus seu descriptionibus continuis et admodum prolixis, idque tum ut constantem erga Deum pietatem, tum ut defectionem ab eadem notarent.

De singulis verbis et sententiis haec accipe exempla. *Bthulim*, i. e. *virginitas* notat statum gentis piae et fidelis. Sic Ezech. 23, 3 et 8. De eodem usurpatur *desponsatio*, Jerem. 2, 2: « Recordatus  
« sum . . . charitatem desponsationis tuae,  
« quando (tu gens Israel) secuta es me in  
« deserto. — Eadem est symbolica ratio in  
vocibus *mariti*, *uxoris*, *sponsi ac sponsae*,  
ac in sententiis eo pertinentibus. Sic Is.  
54, 5 legitur juxta hebraeum: « Nam ma-  
« ritus tibi erat, qui fecit te. » (in Vulg.:  
Nam dominabitur tui.) Item Is. 62, 5  
juxta hebr.: « Vocabitur . . . terra tua  
« maritata (Vulg. Inhabitata), quia com-  
« placuit Domino in te. » Ac Jerem. 3, 14:  
« Convertimini, dicit Dominus, quia ego  
« vir vester, et assumam vos. » Osee 2,  
19 et 20 Deus Israeli dicit: « Sponsabo te  
« mihi in sempiternum . . . sponsabo te  
« mihi in fide. » Contra de defectione gen-  
tis a Deo ac de idololatria quam saepissime



occurrit verbum *scortari*, ac denominatae ab eo voces *scortum*, *scortatio*, et alia ejus generis. Non opus est, exempla producere, cum notiora sint.

Symbolica haec dictio non raro per longam orationis ac descriptionis seriem continuatur, velut Is. 54, 1—15, ubi ecclesia Israelitica dicitur antea fuisse sterilis, aut quasi virum non habuerit, aut vidua fuerit, aut uxor abjecta et moerens animo; nunc autem maritum habitura creatorem suum, multos filios paritura, ac domos pulcherrimas possessura cum omni bonorum abundantia ac securitate. Sic et Osee c. 2, 1—20 minatur Deus Israeli, uxori adulterae, daturum se illi libellum repudii, multis calamitatibus eam affecturum esse; quibus emendata tandem vocatura sit Deum *vir meus*, tumque sponsa Dei futura sit in justitia et fide. Ejusdem generis sunt, quae late exsequitur Jerem. c. 3.

Ezechiel c. 16 quanta verborum copia per versus 63, quibus coloribus, ac cum quot adjunctis locorum, personarum etc. eandem symbolicam notationem prosequitur! Omnem statum populi Israelitici, a prima ejus aetate et deinceps, sub imagine

mulieris adumbrat Haec dicitur nata esse humili et probrosa conditione, dein grandis effecta esse; pervenisse ad mundum muliebrem, ubera ejus intumuisse etc.; tum Deus dicitur expandisse amictum suum super eam (i. e. uxorem sibi assumpsisse,) ac vestitu pulcherrimo aliisque donis ornasse. At illa, superbiens pulchritudine sua, lasciva et contumax, aedificavit sibi lupanaria in cunctis plataeis, ac fornicata cum Aegyptiis, Assyriis, Chaldaeis, dedit ipsa mercedes amatoribus suis etc. etc. Quare judicabit Deus illam judiciis et poenis sancitis in adulteras, destruet lupanaria ejus etc. etc.

Idem propheta c. 23 toto ac prolixo sub figura duarum meretricum, sororum Oolla et Ooliba, impietatem regni Israel ac regni Judae traducit. Flagitia earum cuncta turpissimaque verbis propriis, nudis, luculentibus, quaeque horrorem ac fastidium legenti ingerunt, singulatim describit. Is, qui non noverit genus orationis symbolicum, Orientalibus adeo familiare, putaret, non aliud repraesentari, praeter historiam duarum meretricularum procacissimarum. Tantopere omnis forma

et color orationis prae se fert speciem historicae narrationis.

Magis adhuc eam speciem historicam offert locus ille cum primis aenigmaticus Osee c. 1 et c. 3. Mandat Deus prophetae c. 1, ut sumat sibi uxorem fornicariam Gomer filiam Debelaim, ac faciat sibi filios fornicationum. Parit ea duos filios et filiam. Vocatur jussu Dei unus Jezrahel, alter Lo-Ammi (non populus meus), ac filia Lo-Ruchama (absque misericordia). Cap. 3 jubetur propheta diligere mulierem adulteram dilectam amico; ac fodit (i. e. emit eam seu comparat sibi) quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordei.

Haec quae partim exscripsi, tam multis tamque particularibus circumstantiis insignita sunt, ut interpretes non pauci putaverint, ea reipsa sic gesta esse, ac (quod dictu durum est) jussum esse prophetam, meretricem ducere uxorem. Ast symbolica sunt, quae dicuntur, omnia, ac sub meretricis appellatione sistitur populus Deo marito suo infidelis, ac sub prophetae nomine Deus ipse. Haec optime ac late commonstrantur in opere: Critique de la Bibliothèque et des Prolegomenes de Dupin

par Rich. Simon t. 4, p. 522 seqq. (De auctore hujus operis vide, quae scripsi in fine Exegesis criticae in ps. 67 et 109. Monast. 1809.)

Ad rationes in opere isto prolatas addo: Ipsum nomen mulieris indicat, symbolum esse illam. Nam *Gomer* valet *cessare faciens, seu desinens*; *filia Debelaim* valet *filia placentarum ex ficibus factarum* (id est: habens has placentas, quae suavissimae erant.) Ergo nomen mulieris *Gomer filia Debelaim* innuit, auferenda esse oblectamenta terrena, uti idipsum c. 2, 11 — 12 declaratur. Sic et nomen filiae, ac unius ex filiis *Lo-ruchama, Lo-ammi*, symbolum esse, per se patet; filii alterius nomen *Jezrahel* etiam alludit ad supplicia impii regis Achab et Jezabel, degentium olim in Jezrahel. 3 Reg. 21.

Hunc locum Osee paulo latius tractavi, ut patescat 1. Symbolicas enuntiationes interdum quamproxime ad speciem habitumque historicae relationis accedere, iisque legentes falli facile posse. 2. Propria quae videntur nomina, esse interdum nil aliud, nisi allusionem symbolicam. Utrumque hoc etiam in pluribus aliis sym-

bolis tum Indorum et Persarum, tum Hebraeorum supra relatis te animadvertisse censeo.

### 10. *De symbolico sermone in novo Testamento.*

Nolo recensere omnes symbolicos aut hieroglyphicos tropos N. T., verbi causa, quem Christus profert Joh. 3 de serpente aeneo, pluresque qui sunt in ep. ad Hebraeos potissimum, ac alibi quoque. Eos solos hic nominare, magis ad rem facit, qui ad mysticum sponsalis unionis significatum pertinent.

Hic quam familiaris fuerit Israelitis, vel maxime ex eo patet, quod in libris N. T., non solum in prophetis aut poeticis, sed et in Evangelis ac epistolis frequentissime occurrat. Nota sunt loca Apocalypseos, libri prophetici C. xix, 7. xxi, 2. xxii, 17:

« Venerunt nuptiae agni, et uxor eius prae-  
 « paravit se. — Ego Joannes vidi sanctam  
 « civitatem, Jerusalem novam, descenden-  
 « tem de coelo a Deo, paratam sicut spon-  
 « sam ornatam viro suo. — Spiritus et

« sponsa dicunt: Veni! Et qui audit, dicat: Veni!»

Nota etiam sunt haec loca in Evangeliiis et epistolis Paulinis. Matth. ix, 5 Christus de semet ac suis sectatoribus loquens dicit: « Num possunt filii (amici seu comites) « sponsi lugere, quamdiu cum illis « est sponsus?» Praecursor Domini nuptias ejus cum ecclesia ut praesentes, ac semet paranymphum, animo conspicit, exultatque dicens Joh. iii, 29; « Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem « sponsi, qui stat et audit eum, gaudio « gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo « gaudium meum impletum est.» Apostolus 2 Cor. xi, 2 eadem imagine utitur: « Despondi vos uni viro, virginem castam « exhibere Christo.» In eadem imagine proponenda pluribus verbis immoratur Ephes. v, 24—32. Christi erga desponsatam sibi ecclesiam amorem ac sollicitudinem, ecclesiaeque erga eum observantiam repraesentat ut exemplar unionis, quae sit inter virum uxoremque, ac praeter alia haec dicit: « Christus dilexit ecclesiam... « ut illam sanctificaret . . . . ut exhiberet « ipse sibi gloriosam ecclesiam, non ha-

iis erat nomine, quod idem valet, vir meus. Utrumque docet Osee II, 16.

Huc etiam pertinent locutiones symbolicae, ante adductae, ad designandam populi fidelitatem aut infidelitatem in Deum: Virginitas, adulterari, meretrix. Haec vocabula, obvia et trita, documento sunt, quantopere animi orientalium mystici amoris imaginibus imbuti fuerint.

12. *Symbolorum usus quam maxime convenit ingenio Salomonis.*

Postquam multa locuti sumus de Orientalium et speciatim Hebraeorum symbolico cogitandi ac dicendi genere; accedamus ad eum, ob cuius canticum omnis haec disquisitio instituta est, ac inquiremus, quae ejus regis indoles fuerit, quis eruditionis ac sermonis habitus, atque an in eum cadat frequens orationis symbolicae usus. Huuc in eum praeprimis cadere, imo et aenigmata perquam mysteriosa, apparet tum ex iis quae de eo dicta sunt in s. literis, tum ex iis, quae praeter Canticum Cant., ab eo scripta sunt.

Libro 3 Reg. c. 4 dicitur: « Praecede-

« bat sapientia Salomonis sapientiam om-  
 « nium Orientalium et Aegyptiorum . . .  
 « Locutus est tria millia parabolas, et fue-  
 « runt carmina ejus quinque et mille. »  
 Sic quoque Ecclesiastici c. 47 praedicantur  
 ejus aenigmata, proverbia, comparationes  
 et interpretationes, quas miratae sunt ter-  
 rae. Sub aenigmatum autem involucris  
 Orientales proponebant doctrinas altiores  
 theosophicas et philosophicas; atque eorum  
 ingēnii sollertia potissimum versabatur in  
 illis proponendis ac proposita interpretan-  
 dis. Legimus quoque 3 Reg. c. 10 regi-  
 nam Sabae venisse, ut tentaret Salomonem  
 in aenigmatibus. Adjungit et haec Flavius  
 Josephus Antiq. Jud. viii, 2, utique ex  
 antiqua traditione: sermones aenigmaticos,  
 ac sophismata (ut dicit Josephus, i. c. in-  
 geniose dicta) a Salomone missa esse ad  
 regem Tyriorum Iranum. Fuisse et Tyri  
 Abdemonem quendam, qui semper proble-  
 mata proposita a Salomone extricaverit. —  
 In libro parabolarum Salomonis, ut de hoc  
 solo loquar, obvia sunt plura symbolice  
 dicta, inprimis c 8 et 9. Sistit ibi sapien-  
 tiam sub persona mulieris, quae ab insi-  
 pientia morali, quam c. 7 sub imagine



meretricis proposuisse videtur, advocat homines, et ad sui amplexum multis verbis invitatur. Vita beata, quam secum degentibus illa largitur, figuris his symbolicis exhibetur: « Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis: (ex arce et ex moenibus) Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.»

Patet ex his formas orationis symbolicas, etiam diutius continuatas, neutiquam alienas esse ab ingenio hujus regis vivido ac excelso, magna variaque rerum humanarum divinarumque notitia imbuto, atque sapientiam illam Orientalium, sacratiora dogmata sermone mystico et aenigmatico velantem, consecrante imo et superante.

Accedamus nunc ad ipsius Cantici Canticorum explanationem, ac inquiremus primum, quod ejus sit argumentum, quae structura et forma.

« bentem maculam aut rugam, aut aliquid  
« hujusmodi, sed ut sit sancta et imma-  
« culata. »

Quid referam loca illa complura, ubi  
nominibus adulterii aut meretricis defectio  
a pietate in Deum aut a vera religione  
significatur, velut Apoc. II, 22. XVII, 1. 5.  
15. 16. 20. XIX, 2. Matth. XII, 39. Joh.  
VIII, 41. 1. Cor. X, 8. Jacob. IV, 4.

11. *Mystica amoris symbola illustran-  
tur ac firmantur ex indole lin-  
guarum orientalium.*

Indoles populi; ac modus cogitandi et  
sentiendi, linguae qua utitur, inditus et  
inpressus est. Hunc ergo modum, si ex  
antiquis monumentis minus novimus, pos-  
sumus plerumque ex vocabulorum formis  
ac generibus etc. augurari; aut si eum aliun-  
de noverimus, ex iisdem confirmare. Vi-  
delicet (ut utar exemplo pertinente ad rem  
de qua hic ago) si populus quidam anti-  
quus sub forma et genere foeminino com-  
pellat nomina regionum et urbium; licet  
ex eo suspicari, ac si aliunde id quoque  
constet, firmari, eum populum sibi reprae-

sentasse relationem inter Deum ac nationes eidem peculiariter dicatas sub imagine amoris ac tutelae sponsalis aut conjugalis. Atqui constat, nomina nationum et urbium fuisse Hebraeis foeminina, Deumque ab iis Dominum, Herum aut Maritum nuncupatum fuisse. Proferam hic latine reddita, ea quae docte scribit *Jahn Archäologie* 1. Theil, 1. Band pag. 246. Wien a. 1797.

« Orientales plerumque sibi urbes repraesentabant ut foeminas, ac quidem nunc ut matres incolarum, qui filii filiaeque dicuntur, nunc ut regis uxores. Hinc etiam *Malach*, regem fieri, in arabico valet: uxorem ducere, idemque verbum in forma secunda Conjug. valet tum *alicuiquem facere regem*, tum *alicui conjugem dare*. Rex ergo dicitur maritus seu vir urbis regnique; ac eodem modo s. scriptura de Deo loquitur, quoniam rex erat Hebraeorum. In civitate Tunis moderator regiminis vocatur *Dey* seu *Day*, id est (juxta Arvieux IV Th. S. 41 et V Th. S. 218) frater matris, eoquod res publica illis est pro matre, cives pro filiis ejus, imperator supremus Constantinopoli pro marito reipublicae. Juxta

« eam sentiendi rationem urbs princeps  
 « est mater urbium subditarum; sicque in  
 « Historia Regum Mauritaniae per *Dom-*  
 « *bay*, teutonice facta 1794, pag. 33 Fess  
 « nuncupatur mater totius Mauritaniae;  
 « in Chaldaico *Eem* significat et matrem  
 « et urbem primariam; etiam Graeci, id-  
 « ipsum secuti, metropolis vocabulum for-  
 « maverunt. ”

Ad haec *Cl. Jahn* verba, liceat mihi hoc adjungere. Verbum *Baal* ab Hebraeis, Chaldaeis, Syris et Arabibus usurpatur tum pro: *possidere, dominari*, tum pro: *sponsam aut uxorem habere*. Sic et substantivum *Baal* significat *dominum* aut *Deum*, ac etiam *maritum*. Pro Deo saepius usurpatum esse, constat ex dei falsi nomine *Baal*, ex compositis *Baalphegor* et *Baalzebub*. Idem vocabulum quum notabat Deum dominum, itemque maritum, notabatque et dominari et uxoris loco habere; patet. quam notionem sibi formarint de unione Dei cum populo, sub foeminina forma nuncupato. Israelitis quidem interdictus erat usus nominis *Baal*, quoniam profanatum erat per ethnicos; ejus loco utendum

### 13. *De argumento Cantici Canticorum.*

1) Sponsa amoris in dilectum, quem regem vocat, plena, vehementissimo absentis desiderio rapta, exclamat: « Oscu-  
« letur me osculo oris sui! . . . . trahe  
« me! . . . . exultabimus et laetabimur in  
« te!” Adsunt filiae Jerusalem; illa semet, suamque ab iis vilius habitam formam praedicat; absentemque acclamans sponsum, ut ubi sit indicet sibi, comperit id ab illis filiabus. Repertus sponsus extollit ejus speciem, ac illa sponsi; exsultantque ambo, illa amoris beatitudine plena, hic tenera sollicitudine erga dilectam sibi. I, II, 1—7.

2) Sponsa (loco alio et tanquam scena mutata) videt eminus venientem ad se dilectum suum; ipseque jam stat ad parietem domus, invitatque eam verbis amantissimis: « Surge amica mea! . . . . ostende  
« mihi faciem tuam! sonet vox tua in auribus meis!” etc. Illaque gestiens exclamat: « Dilectus meus mihi et ego illi!”  
II, 8—17.

3) Sponsa (loco item et scena mutata) quaerit de nocte dilectum, surgit, circuit

civitatem, interrogat custodes urbis, invenit eum, tenetque, et introducit secum. III, 1—5.

4) Prospicitur accedens ex deserto sponsa formosissima. Salomonis dein lectulus, ejusque desponsati decor et gloria celebratur. Sponsus sponsae pulchritudinem pluribus verbis extollit, rogans ut ad se veniat, contestans amoris desiderium verbis ardentissimis, sodalesque ad laetitiae societatem invitans. III, 6 etc. IV, v, 1.

5) Sponsa sponso venienti domum suam nocte, vocantique ut aperiat fores, respondet cunctabunda; dein quum aperiret, abierat ille. Illa quaerit eum, advocat, ab urbis custodibus male tractatur, pergit porro, rogat filias Jerusalem, ut sibi languenti amore, ubi sit dilectus, indicent. Interrogantibus his, quis sit ille, speciem ejus decusque describit. v, 2—17.

6) Sponsa quum videbat dilectum suum descendisse in hortum ejus, exclamat: « Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi! » Sponsus vicissim suavi amore correptus formam ejus collaudat, comparans ei quidquid est amoenissimum et pretiosissimum. Tumque illa (quae Sulamithis hic vocatur)

rogat, ut secum in villam vineamque ac domum maternam pergat, ubi fruantur suavissimi amoris societate. VI, VII, VIII, 1—4.

7) Conspicitur sponsa, super dilectum innixa; precaturque, ut sibi junctus maneat amore fortissimo, quique extinguatur numquam. Beata et secura nunc de amore ejus, optat, ut et soror parva laetitiae talis particeps fiat. Dumque gaudii sui suavitatem verbis promit; monet sponsus, ut se solum vocem suam audire faciat, quoniam auscultent amici. Sicque finit canticum, sponsa verecunda clamante:  
 « Fuge, dilecte mi! assimilare capreae,  
 « hinnuloque cervorum super montes aro-  
 « matum!» \*)

---

\*) Grammaticè et archaeologicè canticum hoc elucidare, ad meum institutum non pertinet. Unum locum, qui legentem praepriis offendere possit, explanabo. Est is VIII, 5. Varias interpretationes peperit ambigua verbi *Chabel* significatio, quod in forma passiva legit Vulgatus ac reddidit: *Ibi* (sub arbore malo) *corrupta est mater tua, ibi violata est genetrix tua.* (Idem in Hebr. est verbum pro: *corrupta est* ac pro:

14. *Consectaria, quae ex data hac analysi existunt.*

1. Vides mutari loca, tempora, habitusque sponsi et sponsae. Res agitur domi, rure, in horto, in urbe, die, nocte, vesperi; sponsus ut rex, ut hortulanus, ut pastor sistitur, similiterque et sponsa.

---

*violata est.*) Haec Vulgatae versio non probatur recentioribus, qui malunt seu cum Alexandrinis reddere: *Ibi peperit te*, seu ex Arabismo; *Ibi concepit te*. Etiam Vulgatus in eundem ferme sensum exponendus esse videtur.

Mihi tamen hae interpretationes alienae a contextu sententiarum videntur, ac non satis decore sponsus talia diceret sponsae. — Verbum *Chibbel* in forma *Pihel* est denominativum a nomine *Chebel* i. e. funis. Hujus usus est ad ligandum, ad capiendum, ad constringendum, ac (quod huc non pertinet) ad metiendum. Hinc derivatum verbum valet, in Arabico saepius, interdum et in Hebraico, *ligare, irretire, ligatum tenere*. Dein, quia ex constrictione oritur laesio aut corruptio, significat *nocere, corrumpere*, velut in ipso hoc cantico c. 2, 15 *Mchabalim*, quae corrumpunt (vineas.) Demum a dolore constrictionis transfertur ad dolores acutos parturientis, valetque *parturire*.



5. Patet, canticum dividi in partes aut sectiones aliquot, quas alii aliter ordinant, pluresque aut pauciores inducunt. Quot sint illae, ac ubi incipiant et finiantur, non facit quidquam ad institutum nostrum. Quare etiam de partitione, quam supra constitui, multum disceptare nolim. Multo minus de eo, quod nil facit ad rem nostram, an canticum hoc sit drama, aut dramatis instar, an Idillium. Legesis de

---

In significatione primaeva ligandi legitur Is. 32, 7: *Ad irretiendum* (perdendum in Vulg.) mites *in sermone*. Sic et Arabes utuntur hoc verbo: *Irretivit eum mors laqueis suis*. (Conf. hebr. Lex. Schulzii, et Supplem. Michaelis.)

Hanc verbi vim malim tribuere loco nostro. Sponsus dicit dilectae: *Sub arbore malo suscitavi te; ibi irretivit te mater tua, irretivit, quae genuit te*. Irretivit (aut irretiverat) seu vi, seu minis, seu blandis vocibus seu aliter, dilectam et optimam filiam secum tenere volens jure materno, timens ne illa relinquat patrem et matrem. Sponsus accessit, eamque erexit, secumque duxit. Nam, ut subdit: „Fortis est ut mors „dilectio, dura sicut infernus aemulatio” etc. — Vides sic consona esse inter se omnia, ac personarum adjunctis decorique prorsus convenientia.

eo *Lowth* de poesi hebr. praelect. xxix  
ac xxx.

3. De septem diebus, per quos continuos solemne convivium nuptiale more Hebraeorum antiquo celebrabatur, hic nulla mentio, nullum vestigium occurrit. Quare non assentior sententiae *Bossueti*, *Calmeti* aliorumque, Canticum in hanc dierum hebdomadam distribuentium. Neque *Michaelis* adsentitur, cujus verba, huc pertinentia, etsi ab ejus expositione cantici longissime recedam, adscribere juvabit. In notis ad *Lowthii* praelect. xxx (edit. Götting. p. 594) bae recte dicit: « Epulo  
« nuptiali, per VII dies duraturo, tempus  
« nullum in hac scena relinquitur. Aut  
« discesserunt a se conjuges, absentesque  
« se requirunt, aut exoptata fruuntur solitudine; et si quando cum amicis virgibusque colloquuntur, in plataea id faciunt, in agro ac sub dio, nusquam cum convivis. Multum laborabit, si quis vel  
« unico convivio locum et tempus quae-  
« rat; nec inveniet, ubi illud scenae . . .  
« apte intexat.”

4. Imo, perpensa forma ac serie carminis hujus, neque hoc a me impetrare pos-

sum, ut credam, ulla consuetas nuptiarum solemnitates in eo celebrari. Recito iterum quae scribit l. l. p. 591 *Michaelis*:  
 « Nulla, inquit, fit in toto carmine, tam  
 « longo, rituum nuptialium vel tenuissi-  
 « ma mentio. Solus canitur amor, nihil  
 « praeterea, non velatio sponsae . . . non  
 « epulae solennes. Deinde quis suspice-  
 « tur, sponsum labori tam fuisse affixum,  
 « ut ipsa nuptiarum hebdomade aliquoties  
 « et novam nuptam et convivas desereret  
 « per integros dies, gregis pascendi causa?  
 « quis ne hoc quidem ei feriarum tempus  
 « fuisse credat? noctu illum non rediisse,  
 « sed solam reliquisse quam tantopere ama-  
 « bat? . . . Sponsam eodem tempore vi-  
 « neam custodire debuisse (1, 5) ob quam  
 « neglectam fratres ei succensuerint, tam  
 « est a festivitate nuptiali abhorrens, ut . . .  
 « veri sit dissimillimum, nuptias hic de-  
 « scribi." Dein p, 594 addit: mirum esse,  
 si hae describerentur, non cani pompam  
 comitantium; nusquam adclamationes, can-  
 tica, bona verba convivantium etc. audiri.

15. *Quis sponsus sit, quae sponsa.*

De sponsa primum inquiramus. Eam quidam, numero pauci, voluerunt esse puellam Tyriam; alii item pauci Jerosolymitanam aut Sunamitidem; alii multo plures, non illi ex antiquissimis expositoribus, sed ex recentioribus, filiam regis Pharaonis, quam duxit Salomon (3 Reg. III, 1.); demum alii confictam poetica velut imaginatione ac repraesentatione personam arbitrantur.

Primas duas paucorum sententias, easque argumentis idoneis prorsus destitutas, ac modo antiquatas, refellere opus non est. Tertia, quam multi tuentur, accuratius discutienda est. Ego quidem nullatenus adducor, ut in eam concedam. Quae rationes me retinent, hae sunt:

1. Argumenta, quibus eam firmare volunt, infirmiora mihi videntur. Etenim quod dicunt, filiam Pharaonis prae omnibus a Salomone amatam esse, quippe cui magnificentissimas aedes exstruxerit (3 Reg. VII, 8), id nec tam exploratum est, ac per se non multum ad rem confert. Multo

minus id, quod sponsa (I, 9) equitatu Pharaonis assimilatur, quodque (ib. 4, 5) nigra aut fusca dicatur. Nam is color, etsi Aegyptiis proprium esse largiamur, tamen ibi dicitur ortus ex eo, quod sol eam decoloravit. Porro quod VII, 1 vocetur filia principis, id pluribus aliis virginibus competit. Demum ex nominibus Salomon et Sulamith nil sequitur, quoniam esse possint seu propria nomina, seu appellativa (pacificus, pacifica.) De his postea dicendi locus erit.

2. Argumenta multa et gravia mihi videntur obstare huic sententiae. Ea producam verbis, etsi paululum immutatis, Patris *Smits*, perquam studiosi interpretis. (Cant. Cant. versione belgica notisque elucidatum. Antverpiae 1746. Proleg. p. xv, xvi.) Indignum fuisset regis filiae, eam inducere, ut talem, quae nigra sit ex solis adustione, ac talem, quae posita sit custos in vineis. (I, 6) An principis filia exhibenda esset, ut sola sine comite noctu cursitans per plateas? (III, 2 seqq.) ut a vigilibus percussa? (v, 7.) Dein cupit sponsa dilectum suum semel atque iterum introducere in domum matris suae. (III, 4.

E

viii, 2.) Num sponsum in Aegyptum deducere cupiisset? Sponsus quoque locum sponsae natalem designat in agro Jerosolymitano, ut patet collatis, quae vii, 1—6 dicuntur. — Hae rationes, adjunctis Rabbinorum ac patrum christianorum suffragiis, (supra N. 3) me movent, ut ab hac recentiorum sententia omnino recedendum esse putem, probemque verba *Theodoreti* ib. recitata, licet dicta acerbius, quam ego malim.

Remotis his sententiis tribus, reliqua est quarta. Haec autem in duas partes sensusque abit. Unus est: Salomon sponsam suam sub imagine aut fictione poetica, velut in poemate dramatico, inducit ac repraesentat, tamquam modo in urbe versantem, modo domi, modo rure ac in pascuis aut horto, modo nocte aut interdiu, modo loquentem his, modo aliis, omni loco, tempore ac omnibus testantem desiderium erga semet, amorisque vim et suavitatem ex societate dilecti formosissimi, qui dilectus et ipse eosdem in illam affectus promit. Hic sensus non multum ab eo recedit, quem tertia sententia de qua dixi, continet; idemque videtur mihi probandus non

esse ob easdem ferme rationes ab indecoro et auctoritatibus desumptas, quas protuli contra illam. Accedit, quod talis dramatici poematis forma nemini Orientalium, teste *Eichhorn*, usurpata ac nota fuerit. (Einleit. ins A. T. t. 3 §. 649. Ed. 2dae.)

Secundus sensus quartae sententiae est hic: Fictione poetica sistitur sponsa, non illa Salomonis aut cuiusdam definiti sponsi, sed indeterminate quaecunque sit illa, quae in dilectissimum sibi sponsum, qui quis sit, ipsis cantici verbis non illic determinatur, feratur summo desiderio amoris, inter se et sponsum mutui, quo dum potita est, exsultet, ac felix beataque sit. Seu, ut aliis verbis ac brevioribus dicam: Amoris mutui castique sponsam inter et sponsum vis et ardor, gaudium et felicitas proponuntur. Hic sensus generalis mihi quidem prae reliquis maxime probandus esse videtur. Rationes hujus meae sententiae antequam explicem, dicendum est de nominibus, sub quibus sponsa et sponsum Cantici inducuntur.

Sponsa in VI, 12 ac VII, 1 (seu juxta Hebr. VII, 1 et 2) vocatur *Sulamith*; pro quo mendose in plures lat. editiones irrep-

serat *Sunamitis*. Hoc vocabulum nonnulli perperam derivant a *Salem* i. e. Jerusalem. Nam, ut alia taceam, ad designandos urbis incolae Hebraei non ea vocabulorum terminatione utuntur, sed circumlocutione, v. gr. filiae Jerusalem. Quid vero inuat hoc nomen, ac quam vim habeat, id puto manifeste satis in ipso cap. ultimo significatum esse. Ibi *Sulamith*, amore sponsi felicissima, de semet dicit: « Facta sum coram eo quasi pacem reperiens. » *Sulamith* ergo designare mihi videtur eam, quae reperit pacem, seu (juxta significatum pacis hebraicum) omnium bonorum abundantiam, omnem felicitatem. Derivatur ergo a *Salem* i. e. pace, juxta eandem derivationis formam, qua e. gr. dicitur *Acharith*, postrema, nisi quod *mem* (hebr. legitur *Sulamith*) geminetur, forte emphaseos causa.

*Aquila*, graecus interpres antiquus, tenacissimus verborum, reddit etiam hoc nomen εἰρηνευσσα, uti testatur *Theodoretus* ad c. 6 Cant., ibique graecum hoc recte explicat verbis, quae latine valent: *pacem assecuta*. Non bene reddunt alii hoc: *pacifica*.



Nomen *Salomon*, praeter 1, 4, ubi tantum comparationis loco occurrit, saepius ut sponsi nomen legitur, nempe III, 7. 9. 11, ac VIII, 11 et 12 juxta hebraicum. Eo nomine quidnam Deus ipse significari voluerit, dicitur 1 Paral. xxii, 9: « Erit vir  
 « quietissimus . . . . pacem et otium dabo  
 « in Israel cunctis diebus ejus: et ob hanc  
 « causam Salomon” (in Vulg. est: Pacificus) « vocabitur.” Hinc et latinus interpres Cant. VIII, 11 et 12 hebraicam vocem Salomon non inepte reddit: *Pacificus*, modo eam vocem latiori sensu, juxta verba Paral., intelligas: faciens seu donans pacem et sibi et aliis.

Licebit ergo, ac quidem convenienter admodum et ex rationibus satis idoneis, nomina Sulamith et Salomon accipere non ut propria definitam unam personam signantia, sed ut appellativa, cuius personae convenientia, in quam cadant dotes hisce nominibus significatae. Ipse autor cantici mihi videtur in fine operis obscurius scripti lectorem de hac significatione appellativa monere voluisse, dum sponsam loquentem facit: « Facta sum coram eo, quasi pacem  
 « reperiens.” In Hebraico: Reperiens

*Schalom* seu *Salom*, quod satis aperte innuit, vim vocabuli appellativi esse in *Sulamith*, uti et in nomine *Salomon*, quod statim adjungens sponsa dicit: « Vineam fuit « Salomoni » (in Vulg. Pacifico.)

Hanc vim appellativam horum nominum si sequaris, prodit aptissime sensus ille generalis Cantici, quem ante dixi: nempe, canis generatim amoris mutui castique sponsam inter et sponsum vim et ardorem, gaudium et beatitudinem.

Hunc sensum generalem, simulque hanc nominum significationem appellativam amplecti ac tueri malo ob has imprimis rationes;

1. Juxta mentem et consuetudinem Hebraeorum aliorumque orientalium nominibus, quae propria videntur, saepissime simul inest vis appellativi vocabuli, aut illa sola inest. De primo exemplum habes in nomine Petrus, (Cepha) quod a Domino adjectum Simoni Bar-Jona, simul etiam ac peculiariter significabat, super eo, ut petra (Cepha) aedificandam esse ecclesiam. De secundo exemplum est in virgine, paritura filium, qui vocabitur Emmanuel, (Is. VII, 14) Constat, non id

nudum nomen intelligi, quod sonat haec vox, sed id solum, quod significat: Nobiscum Deus. Utriusque generis nominum quam plurima sunt exempla.

2. Sensus hic desponsatorum generalis, ac nominum appellativus, illud indecorum, quod supra N. 2 verbis P. Smits retuli, nullatenus admistum habet.

3. Idem sensus perquam apte quadrat ad omnem formam seriemque cantici. Sponsa sponsusque nunc inducuntur ut pastores, nunc ut hortulani, nunc ut urbis incolae, nunc sub regis aut principis nominibus; sponsa interdum male tractata dicitur aut a fratribus, aut ab urbis custodibus, (1, 5. v, 7) constantissima ipsa semper in amore dilecti sui. Haec nonne signare videntur, sponsae sponsique, quocumque in loco et statu ac conditione sint, seu quicumque sint ambo, mutuuum desiderium, mutuos amores, gaudia mutua? Interim unum hoc animadvertere juvabit ob ea, quae postmodum dicam, sponsae desiderium ac gaudia multo pluribus ac ferventioribus verbis proferri.

4. Hic sensus etiam firmatur hac subtili et vera adnotatione *Lowthii* (Poes.

Hebr. Prael. 31.) « Non est praetereunda  
 « hujus appellationis animadversio” (Sa-  
 lomon, Sulamith, aut ut legi vult *Lowth*  
 Salomitis.) « Habere enim videtur aliquid  
 « momenti, nec obscuram continere oc-  
 « culti sensus significationem. Quorsum  
 « enim conjugii Salomonis, praeter consue-  
 « tudinem Hebraeorum, imponeretur ip-  
 « sius nomen, nisi ex vi ac notione vo-  
 « cabuli? Unde intelligitur, eandem no-  
 « minis vim in ipso Salomone non esse  
 « negligendam, nec in ejus persona unico  
 « haerendum.”

5. Hic sensus propius accedit ad sen-  
 tentias antiquorum relatas N. 3, atque mul-  
 to convenientior est mystico intellectui,  
 quem hi antiqui cantico constanter attri-  
 buunt. Hic quoque sensus placuit nostra  
 aetate expositoribus *Herder*, *Michaelis*,  
*Eichhorn*, aliisque, quamvis mysticam ex-  
 positionem non probantibus.

Huic sensui generaliori non obstat illud,  
 quod omnis actio carminis agatur Jeroso-  
 lymis aut in locis vicinis; neque illud,  
 quod desponsati sint ex Israelitis; quod  
 loca plura Palaestinae nominentur; quod  
 de matre Salomonis sermo fiat; quodque

Davidis et Pharaonis nomina in quibusdam comparationibus occurrant. Etenim poetica est libri compositio, talisque, ut cum summa sermonis evidentia oculis auribusque cuncta exhibeantur, ac sic in animos legentium altius penetrare valeant. Hoc autem ut fiat, necesse est, actionem quae geritur proponi sub adjunctis singularibus locorum, personarum, temporumque. Quaedam singulatim nominantur ac describuntur, aut mere symbolica sunt, etsi historiam esse quis putare posset, velut N. 9 ostendi de locis Ezech. xvi et xxiii ac Osee ii et iii; aut dum auctor carminis singularia nominat, neutiquam cetera ejusdem generis et conditionis exclusa esse voluit. Sic v. gr. repraesentans sponsum ac sponsam, sociasque eorum, ut Hierosolymis viventes, sub hac particulari imagine ceteros certe Israelitas ejusdem conditionis comprehendisse existimandus est.

16. *Symbolicum ac mysticum esse sensum Cantici Canticorum demonstratur.*

Dico, in hoc cantico sub imagine sym-

bolica amoris desponsatorum proponi amorem homines inter et Deum, qualis ille sit ac esse debeat; hancque mysticam significationem ei subesse contendo. Ob eam causam ut hoc patefiat, dicta sunt omnia, quae hucusque tum generatim de symbolorum ac hieroglyphiorum usu, tum de symbolis amoris spiritualis legisti. Perpendamus singula; ac ea quae praecipua sunt, amorisque mystici symbola propius attingunt, in unam summam colligamus, aliis et argumentis eadem firmantes.

1. In libris Indorum, Persarum et cet., iisque tam antiquis, ut quidam aetatem Salomonis adaequent aut superent, haec ipsa symbola spiritualis amoris obvia sunt et frequentia. Similis est in iis forma narrationis, descriptionis et cet. ac in Salomonis carmine. Ista quidem multum ab hujus simplicitate, decoro et puritate; attamen in sensu mystico intelliguntur ab Orientalibus. Ex omnibus, in quibus congruunt, unum summopere animadvertendum est. *Radha*, habens vim nominis appellativi, significat *redemptionem* seu *pacificationem*, notatque symbolice animam seu animas omnes hominum. *Crishna*

notat creatorem Deum, ac significat haec vox *salvationem* seu *benevolentiam*. Sic *Jones Asiatic Researches* t. 3, p. 362. Eandem vim significativam inesse vocabulis hebraicis *Sulamith* et *Salomon*, ante docui. Profecto miranda est haec horum vocabulorum congruentia, illaque non levi argumento est, solitos fuisse Orientales sub nominibus talibus, significantibus *pacificum* seu *beneficum*, et *pacificatam* proponere Dei animaeque humanae unionem amoris felicissimam.

2. Graeci antiquiores frequentissime symbolico sermone utebantur, nonnumquam et illo, quo mysticum ac spirituales amorem adumbrarent sub imagine amoris terreni. Graeci doctrinas ac formam eloquii acceperant primum ab Orientalibus. Hinc ergo confirmatur, quam frequens ille symbolismus apud Orientales fuerit, ac quam late in orbe antiquo dominatus sit.

3. Hebraeis quoque perquam familiare fuit, sub eadem figura declarare unionem cum Deo. Juvabit hic ea legere, quae *Theodoretus* in Prooem. Cant. dicit: « Osten-  
« damus, Deum universorum etiam in V.  
« T. cum Judaeorum gente, tamquam cum

« muliere colloqui, atque iisdem uti mem-  
 « brorum vocabulis, quibus de sponsa scri-  
 « bens usus est Salomo." Tum ut hoc  
 ostendat, adducit ac late exponit Ezechie-  
 lis c. xvi. Dein in fine haec addit: « Quid-  
 « nam dicent ii, qui Cantici scripta car-  
 « punt, eaque carnaliter interpretari non  
 « verentur, cum in V. T. non dissimilia  
 « dici de gente Judaeorum invenerint?  
 « Ecce enim et hic (Ezech. xvi) ubera,  
 « et umbilicum, et crura, et manus, et  
 « nares, et aures, et formam, et amores,  
 « et complexum, et conjunctionem inve-  
 « nimus; attamen nihil eorum ita, ut le-  
 « gimus, intelligimus, neque inhaeremus  
 « literae, quae occidit, sed interius pene-  
 « trantes, spiritus sensum investigamus,  
 « ejusque lumine illustrati, quae spiritus  
 « sunt, spiritualiter intelligimus." Dein  
 Theodoretus plura alia ejus generis loca  
 V. T. producit, ut commenstret id, quod  
 antea generatim dixerat: « Oportet consi-  
 « derare, hunc esse in V. T. scripturae  
 « morem, ut multa figurate dicat, ac sub  
 « aliis vocabulis alia significet."

4. Quam familiare fuerit Israelitis, sub  
 imagine desponsatorum aut conjugatorum



adumbrare Dei cum hominibus piis unionem, id etiam docent loca plura, in N. T. obvia, quae hanc mysticam Hebraeorum allegoriam imitantur.

5. Mystica forma dicendi summopere congruit Salomonis ingenio, ejus cognitioni omnis literaturae orientalis, studioque aenigmatum condendorum, ac libris, qui ex multis supersunt, parabolarum ejus.

6. Ipsa forma cantici et contextus nequam videtur introducere nuptias Salomonis cum filia regis Aegypti, nec convivium nuptiale aut dies illos septem nuptiales; sed potius sistitur sponsa, quaeque illa sit, sponsum desiderans, invento gestiens, ac ardentis amoris dulcedine fruens. Verbo: ardor felicitasque mutui purique amoris generatim proponitur.

7. Singulare quid et extraordinarium est in hujus cantici compositione. In eo nusquam occurrit nomen Dei aut Domini. Nam quod in nonnullis codicibus c. 8, 6 voci uni adjungitur nomen *Jah*, (Jehova) id plures cod. non agnoscunt, neque Septuaginta, neque Vulgatus ac Syrus. Attamen nullum est solenne canticum Hebraeis, ac nullus psalmus, etsi brevissimus, in

quo non sit memoria divini nominis. Unde ergo evenire dicas, ut id absit ab hoc cantico, tum admodum prolixo, tum celebrante foedus sponsale, quod solet ubique sanciri sub invocatione numinis? In promptu est haec ratio, neque aliam idoneam reperies, quod sponsi, aut pacifici seu Salomonis nomine Deus ipse significabatur. Quapropter Dei nomen in eo compellendum non erat.

Has septem quas modo protuli rationes si probe expendas, non tantopere alienus eris a sensu cantici mystico, quem dixi; sed pronus fies ad eum amplectendum; neque dubitabis, quin in illo mysticus ille amor divinus significari *potuerit* (quod neutiquam negari potest,) sed et vero simillimum tibi erit, eum reipsa ab auctore significatum, ac mystico sub velamine celebratum esse.

Adde nunc testimonia illorum, qui viventes temporibus antiquioribus tum indolem mysticam antiquitatis, tum relationem cantici spiritualem eo magis perspectam habebant: ob quam causam utique haec testimonia magnum pondus habent. Adde

ergo has testimoniorum auctoritates, de quibus N. 2 et 3 disserui. Nempe

8. Israelitica ecclesia canticum hoc in canonem librorum sacrorum cooptavit, idque a summa retro antiquitate. Hoc factum non esset, si nil nisi profani amoris delicias spiraret. Nam quod dixere quidam, omnes canae antiquitatis libros, praecipue qui Salomonis reliqui erant post captivitatem babylonicam, hos quamvis sacri non essent argumenti, tamen ob antiquitatis aut auctoris venerationem in canonem sacrum receptos esse, id manifestissime repugnat omnibus omnium Hebraeorum testimoniis, libros, adoptatos in canonem omnes, ut divinos ac sacros, venerantium.

9. Magistri ecclesiae Israeliticae non suoapte ingenio exponebant libros sacros, sed insistebant vestigiis patrum seu traditioni avitae. Ex iis ergo, etsi sub Christi aetatem aut aliquantum post eam vixerint, cognoscimus, quae fuerit sententia magistrorum longe antiquiorum, quaeque traditionis antiquae doctrina. Inprimis id cognoscimus, si de totius libri, non unius loci, sensu agatur, atque si de eo consentiant inter se. Atqui de libri hujus Salo-

monici sensu spirituali antiquiores eos, quorum scripta supersunt, consentientes reperimus.

10. Christiani patres et scriptores primorum saeculorum noverant traditionem ecclesiae Israeliticae et Christianae; noverant item, magisque quam nos, ingenium mysticum antiquitatis. Dum utraque hac notitia instructi erant, magni ponderis est eorum auctoritas. Atqui canticum Salomonis non solum in canonem sacrum adscripserunt, ac in sensum mysticum interpretati sunt, sed etiam secus sentientes, Mopsuestenum ejusque paucos fautores, gravi censura, eaque publica, notaverunt.

### 17. *Amplius confirmatur symbolicus sensus Cantici.*

Heyne, vir clarissimus, qui summa diligentia symbolicum aut mythicum (ut vocat) sermonem antiquitatis scrutatus est, quique, ut ipse dicit loco infra laudando, plurium annorum studium in ejus natura et notione constituenda posuerat, is tandem, velut summam ac coronidem omnis suae industriae, dissertationem de eo scrip-

sit. Haec Commentariis Soc. Reg. Göttingensis ad a. 1804—8 inserta est p. 285 sub hac inscriptione: *Sermonis mythici et symbolici interpretatio ad causas et rationes ductasque inde regulas revocata.*

In fine illius haec ab eo monita ac praecepta dantur, quae ego, quum verissime et luculenter dicta mihi videntur, verbis ejus, omissis quae minus ad nostrum institutum pertinent, hic tibi repraesento: « Ad  
 « solam antiquitatem omnis hic mythicus  
 « (symbolicus) sermo spectat (a) . . . .  
 « Manifestum itaque est, eam interpreta-  
 « tionem, quae ex nostro sentiendi, cogi-  
 « tandi et enuntiandi more et usu . . . .  
 « petita est, esse alienam, et esse animum  
 « ab iis liberandum, et iis sensibus et  
 « phantasmatis imbuendum, quibus in-  
 « nutriti et assuefacti erant ii, a quibus  
 « isti mythi, aut mythico sermone enun-  
 « ciata, fuerant inventa et concinnata (b) . . .  
 « Ut in omni interpretatione eorum, quae  
 « ab aliis dicta et scripta sunt, ita et in  
 « mythico potissimum sermone, primo loco  
 « videndum est, sitne aliquid, quod de  
 « auctore constet (c) . . . . Altero loco  
 « videndum est, antiquiores, qui proxi-

« mis aetatibus vixere, aut antiquiora,  
 « nunc deperdita, in manibus habuere,  
 « quibus modis ac verbis eadem enuntient,  
 « ut saltem constet, quo sensu illa anti-  
 « quitus tradita acceperint (d) . . . . Nec  
 « vero solummodo ad annos et vitam scrip-  
 « toris, qui primus alicujus mythi aut nar-  
 « rationis meminit, referri omnia possunt;  
 « potest serior alius scriptor . . . . ex auc-  
 « tore doctiore et fide digniore hausta tra-  
 « dere." (e)

Haec praecepta vir ille insignis tradit, minime loquens de Hebraeorum, sed solum de aliarum gentium antiquarum symbolis exponendis: quo minor est de partium studio suspicio. Haec nos cuncta praecepta non solum observavimus, sed et alias rationes admodum graves ad firmandam nostram expositionem symbolicam adjunximus. Quae ab illo auctore dicta sunt, placuit mihi in quinque capita partiri, literis sub junctis. Quae sunt dicta ante a et b, ea nos ad causam nostram applicasse, constabit tibi; ab aliis contra eadem peccari, videbis N. 20 sub b. Auctorem, de quo monet *Heyne* sub c, ejusque ingenium etc. definivimus. Antiquiores, de

quibus sub d, sunt nobis prophetae, itemque N. T. scriptores, quos modis ac verbis mysticis amorem Deum inter e thomines enuntiasse ostendimus. Seriores scriptores, de quibus in fine sub e, sunt nobis magistri judaeorum et scriptores christiani; illi hauserunt ex auctoribus fide dignis, seu ex traditione avita, cujus utroque tenacissimos fuisse compertum est. Quapropter, etiam si alia, praeter haec, nobis argumenta non suppeterent, affirmare non dubitem: si ullius sermonis mythici, ab antiquis scripti, recta interpretatio constet, talem profecto eam esse, quam de cantico dedimus, quamque etiam ex ejus forma ac structura firmavimus §. praec. N. 6 et 7. Recollige nunc, (nam iterare haec opus non est) quae alia argumenta, graviora illa et digniora, §. 2 et 3 ac §. praec. N. 8, 9, 10, insuper allegavimus; atque te de veritate mysticae nostrae interpretationis persuasum fore, prorsus confido.

Adjungo et alterius viri, in rebus archaeologicis excercitatissimi, auctoritatem. *Creuzerus* in opere: *Dionysus sive Commentationes academicae de rerum Bacchicarum Orphicarumque originibus et caussis.*

Heidelb. 1809, producit p. 54 mysticam narrationem ex libro, qui dicitur *Hermetis Trismegisti*, cujus libri fragmenta servavit *Stobaeus* Ecloga I. 52, p. 926 seqq. edit. Heeren. *Creuzerus* prolixam narrationem primo contractam exhibet, dein quomodo mystice intelligenda sit monet, ac aliter exponentes redarguit. Verba ejus sunt:

« Primum *Isis* fingitur, priusquam *Horo*  
 « filio rerum primordia exponat, dulcem  
 « ambrosiae potum miscere. Sequitur *Isidis*  
 « oratio, qua anima describitur modo  
 « cum *coelestibus mysteriis* consentiente.  
 « Quibus continuo subjicitur: Hoc erat  
 « (hoc notabat) ille *Hermes*, totus mens  
 « (seu ipsa mens, ὁ πάντα ὄντων) qui vidit  
 « universa, quaeque vidit intellexit, quae-  
 « que intellexit, potens est et pandere ac  
 « docere. Tum in astra transisse dicitur  
 « *Hermes*, et quae reliqua de eodem mag-  
 « nifica magnifice praedicantur. Postremo  
 « ipsius Naturae natales panduntur. Jubet  
 « Deus Naturam esse. Prodit ea continuo,  
 « ex ipsius voce, formosissima femina. Quo  
 « facto dei reliqui obstupescunt. Jam sum-  
 « mus rerum opifex (θεὸς ὁ προπατωρ) eidem  
 « porrigit potum Naturae, quo sumto ea-



« dem foecunda evadit. Sequuntur demum  
 « nonnulli partim e *Platonis Symposio*,  
 « partim ex aliis intemeratae elegantiae  
 « scriptoribus expressa, sed ita efficta....  
 « ut malim omittere lascivientis orationis  
 « flosculos et an/pullas.

« Atque inde satis apparet, quam varie  
 « ornatum fuerit hoc ex antiquissimorum  
 « *Orientis* hominum fama profectum, in-  
 « deque per *Heraclitum Platonemque* ad  
 « sequiores usque philosophos traductum,  
 « de Naturae potu poculoque placitum.  
 « Neque tamen eadem res, quae tam ve-  
 « nerandos auctores nacta sit, ejusmodi est,  
 « quae in ridendi materiam detorqueatur;  
 « in quam continuo detorquere solet *haec*  
 « *frivola aetas*, si quid in veterum mo-  
 « numentis offenderit, quod *mystice* con-  
 « ceptum enarratumque videatur. Sed pi-  
 « get dicere, quot qualiaque damna bonis  
 « literis intulerit haec ipsa in *sanctiora*  
 « grassandi licentia, *qua etiam sanctioris*  
 « *doctrinae homines transversos agi do-*  
 « *lemnus.*”

Sic ille vir Cl. *Creuzerus*, acerbius in  
 fine perstringens quosdam s. literarum ex-  
 positores. Idem ac ille sentiunt ac scri-

bunt plures alii, qui arcanas et mysticas Orientalium disciplinas accuratius perscrutati sunt. Sic nuperrime *Frank Prof. Bamberg.* in opere: *De Persidis lingua et Genio Commentationes phaosophico-persicae.* Norimb. 1809 haec praeter alia p. 107 scribit: « Omni tempore in Perside philosophi et sapientes, maximo in honore habiti, eo potissimum excelluerunt, quod res divinas, et ad amorem divinum vitamque essentiam pertinentes, rerum sensualium . . . . figuris comprehendunt, ac visibilium expresserint formis. »

Dein graviter reprehendit eos, qui hunc mysticum seu esotericum in hisce typis sensum respuunt et ignorant, dicitque de illis: « Qui vero sensibus externis a ratione alienis dediti intimum externorum . . . non capiunt sensum, obnubilante quippe phantasiae depravatae materia . . . , quae ex spiritu sunt, vix percipientes, hi in sensuum typis nil reperiunt, nisi propriae ipsorum sensualitatis pondus. »

### 18. *De specialiore Cantici applicatione.*

Paucis dicam, quinam sub desponsatorum nominibus significantur. De sponso quidem magistri utriusque ecclesiae, quoad summam rei, conveniunt: eo scilicet adumbrari Deum beneficum et amantissimum, aut legatum ejus divinum, qui sub lege veteri promissus erat Messias, maxime desideratus omnibus, quique missus est sub lege nova, pacificator supremus, mediator inter Deum hominesque, qui eos summo amore dilexit, vivusque et redivivus sibi patrique univit.

De sponsae significatione major est discrepantia, nec ea tamen summam rei attingit. Magistri Judaeorum recte per eam, dum de temporibus V. T. sermo est, significatam esse volunt synagogam foederis antiqui; recte et Christiani doctores ecclesiam novi foederis, desponsatam Christo Domino; rectius quidam horum, qui utramque V. et N. T. ecclesiam indicatam esse malunt; rectissime, ut arbitror, illi qui sequuntur *Gregorium* magnum, dicentem in expositione Cantici: « Ponamus ante

« oculos, omne genus humanum ab exor-  
 « dio usque ad finem mundi, totam vide-  
 « licet ecclesiam, unam esse sponsam. »  
 Haec latissima significatio mihi convenien-  
 tissima esse videtur, etsi probabile sit, ip-  
 sius Salomonis animo magis ac propius  
 eam obversatam fuisse, quae gentem Israe-  
 liticam designabat.

Quoniam vero quae hic figuratur eccle-  
 sia, est coetus fidelis piarum animarum,  
 interque illas maxime eminent beatissima  
 virgo Maria; satis commode illi agunt, qui  
 non quidem omnia, sed quaedam cantici  
 verba transferunt ad singulas fidelium ani-  
 mas, aut ad virginem Mariam. Neque  
 aequum est, cavillare patres antiquiores ac  
 scriptores, aut ecclesiam catholicam, dum  
 ea Cantici applicatione utuntur. Quodsi  
 quidam ulterius quam oporteat in hac re-  
 latione progrediantur, indulgendum est hoc  
 illorum pietati, ac studio quo ducuntur,  
 cuncta ad finem, quem spectat omnis s.  
 scriptura, ad mores legentium formandos  
 aptandi.

De singularum sententiarum aut imagi-  
 num expositione agere, ad instituti mei  
 rationem non pertinet. Unum, non satis

aliis animadversum, generatim monebo. In eo potissimum versatur canticum, ut evidentissimis formis orationis monstret, quis sit ac quis esse debeat animus sponsae erga sponsum. Hoc apparet ex toto contextu, imo ex verbis primis: « Osculetur me osculo oris sui! Quia meliora sunt ubera tua vino » (aptius juxta hebraicum: amores, amoris tui oblectamenta.) Illa absentem usque desiderat, quaerit, invenit, amplectitur, domum deducit; jam iterum insequitur fugientem; frustrata parumper, moeret, languet, comitibus mandata dat ei perferenda, et splendidam ejus formae descriptionem addit; jam eo vocante, cunctabunda, nempe prae amoris ardentis verecundia, (v, 2 — 6) agit; jam nil curat hominum opprobria ac afflictiones, abrepta dilecti desiderio; quo reperto quantopere exultat, quam beatam se praedicat, semper adhaerere illi cupiens, ingeminansque haec: « Dilectus meus mihi et ego illi! »

19. *Qua occasione et quo tempore scriptum sit Canticum.*

Non parvi refert novisse, qua quis occasione motus, et quibus temporum adjunctis incitatus, carmen aliquod, praecipue si sublime quid aut insolitum spirat, composuerit. Haec notitia facit, ut auctoris mens motusque animi, ac obscuriores relationes et sententiae magis pateant.

Verum illi, qui carmina V. T. posteritati mandarunt, plerumque de tempore et occasione nil notaverunt, contenti ea ut sacra et canonica tradidisse. Quare posteriores, etsi sensum ex traditione patrum perspectum satis habuerint, tamen in temporum adjunctis constituendis admodum variant aut incerti haerent. Sic et canticum hoc alii a juniore Salomone, alii a seniore, postquam ab errore resipuerat, scriptum esse volunt; alii occasione nuptiarum ejus cum filia regis Aegypti, alii alia. Nil ergo nobis reliquum est, nisi ut majorem veri speciem, eamque ex argumentis internis petitam, in hac re sectemur. Quae mihi sententia sedeat, accipe.

Satis multa in libris Reg. et Paralip. de

Salomonis temporibus, ejusque vita gestisque scripta sunt. Tempus, quod scribendo huic carmini, quo foedus quasi nuptiale Dei cum populo celebratur, magis aptum videtur, est illud, quando rex Salomon novo quodam et insigni modo de foedere Deum inter et populum ac semetinito, eoque semper duraturo, confirmaretur, atque eapropter magna animi laetitia perfusus esset, idque foedus sub quibuscunque posset coloribus ac imaginibus, celebrare gesticet, atque animis populi sui dignitatem felicitatemque ejus foederis, ac quali desiderio et fidelitate id amplectendum sit, repraesentare ac penitus infigere cuperet.

Tale tempus, quo sic affectum esse oporteret animum regis, mihi omnino videtur illud fuisse, de quo copiose agit 3. Reg. ix, 1 seqq., ac verbis ferme iisdem 2 Paral. vi et vii. Maxima cum solennitate Salomon dedicaverat templum a se conditum, ipseque benedixerat populo, rogans Deum, « qui custodit pactum et misericordiam cum servis suis, qui ambulant coram eo in toto corde suo.” Postea apparuit ei Dominus nocte et ait: « Audivi

« orationem tuam . . . . elegi et sanctifi-  
 « cavi locum istum, ut sit nomen meum  
 « ibi in sempiternum, et permaneant oculi  
 « mei et cor meum ibi, cunctis diebus . . .  
 « Suscitabo thronum regni tui, sicut pol-  
 « licitus sum David patri tuo, dicens :  
 « Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit  
 « princeps in Israel.” Dein ad pietatem ac  
 fidelitatem Deus et regem et populum ad-  
 stringit, minitans gravissima supplicia, si  
 diis alienis servierint.

Sub hoc tempus et in hac occasione  
 canticum mihi scriptum videtur. In ea tum  
 Salomon erat mentis animique affectione,  
 ut ei admodum congrueret non solum sua-  
 vis et affectuosa cantici forma allegorica ac  
 omne argumentum symbolice adumbratum,  
 sed etiam congruerent descriptiones hyper-  
 bolicæ, repetitæ ac variatæ, pulchritudi-  
 nis sponsi sponsæque, ac omnes illi ver-  
 borum et imaginum colores ad omnem ele-  
 gantiam suavitatemque compositi, de qui-  
 bus rectissime dicit *Bossuet*: « Ubique flo-  
 « res, fructus, pulcherrimarumque planta-  
 « rum copia, veris amoenitas, agrorum  
 « ubertas, horti vernantes, irrigui: aquae,  
 « putei, fontes: odoramenta, sive arte con-



«fecta, sive quae sponte sua humus pa-  
 «rit: adhaec columbae, turturum voces,  
 «mella, lac, vina liquentia . . . . siquid  
 «horrescit, ut rupes ferique montes ac  
 «leonum cubilia, totum ad voluptatem,  
 «ac velut pulcherrimae tabulae ornatum  
 «varietatemque, compositum.»

Canticum ergo hoc mihi videtur compositum post hanc foederis divini solennem confirmationem et regi et populo gloriosissimam, ac laetissimam. Quod si ita esse mecum statuas, non parum et hoc ipsum confert ad firmandam, quam dedi, interpretationem mysticam carminis, quod Dei qui sibi apparuit spiritu motus et collustratus cecinit.

## 20. *De diversis interpretum sententiis.*

Cum cantici eloquium referatur ad eas orationis formas, quae Prov. c. 1, ac Eccli. c. 39 vocantur aenigmata sapientum, occulta proverbiorum, versutiae parabolarum; mirum non est, diversas esse interpretum sententias. Hae, initio hujus operis productae, nunc examinandae sunt: quod pau-

cis facere licebit, cum pleraque, quae eo pertinent, ante dicta sunt. Duplicis generis, magnopere discrepantis, sunt sententiae illae.

a. Una est, quae mysticam relationem statuens, neque in ea parte recedens a patribus antiquis et catholicis scriptoribus, mavult historico et proximo sensu cantari nuptias Salomonis cum filia regis Aegypti. Hanc maxime exornavit *Bossueti* acumen et facundia. Quare haec mihi non probetur, licet eam prorsus reprobare non auserim, dixi §. 14, 15 et alibi.

Etiam hoc quaeritur ab interpretibus, an cantici relatio ad Dei amorem obversata fuerit animo scribentis, aut an a s. spiritu solo intenta fuerit, aut an illata solum sit a magistris Synagogae et Ecclesiae, ad instar sensus accommodati. Ultimum hoc nec verum est, ut patet ex omnibus quae hucusque dixi, nec sufficit ad sacram auctoritatem huic libro vindicandam. Secundum sufficit quidem, verum eo solo niti, non adeo tutum est et firmum. Primo simul ac secundo si nitamur, firmiter multo stabilitur spiritualis sensus carminis. Hoc autem primum non ita patet, nec tam evi-

dens redditur, si sensu proximo et historico ipsas Salomonis regis nuptias celebrari intelligas. Quapropter etiam ex hoc capite commendatur sententia, quam latius §. 15 exposui: generatim cani amorem sponsae sponsique, quicumque illi sint, velut symbolum amoris inter Deum hominesque pios.

b. Recentioribus quibusdam interpretibus ex A catholicorum numero placuit ire in partes *Theodori Mopsucsteni*, male notati a patribus aetatis suae. Unum ex his interpretibus nominabo Clar. *Michaelis*, hujus placiti in Germania facile principem, etsi audaciores semet, ut fieri solet, sectatores nactus est. Is in notis ad *Lowth* de poesi hebr. praelect. 30, 31, in *Bibl. orient. partis 3, p. 45, partis 6, p. 141*, et alibi, mysticum sensum canticum acriter impugnat.

Primo quidem parvi, imo nihili, in hac re facit auctoritatem ecclesiae Israeliticae et christianae, quoniam 1) utriusque magistri qui de Cantico sententiam dixerunt, multis post Salomonem saeculis exstiterint; 2) patres christiani linguae hebraicae et litterarum elegantiorum imperiti fuerint; 3) christianae ecclesiae auctoritas in quaestione

exegetica non multum momenti faciat. Sic ille p. 612 in notis ad et contra *Lowth*. Verum prima quam adfert ratio cur hic non valeat, dixi §. 17 verbis Clar. *Heyne* et meis. Quod spectat secundum, id nec omnino verum est, ac si esset, tamen non magni refert, cum patres hic prodeunt ut testes traditionis avitae. Testari autem quis absque his literaturae subsidiis potest, subinde et candide magis. In eo, quod tertium dicit, suae confessionis placita sectatur, contra quae disputare et ecclesiae christianae auctoritatem tueri, non est hujus loci.

Ibidem p. 612 et 613 argumento a nobis prolato ex analogia aliorum carminum, amores divinos sub humanorum imagine canentium, eam solam vim tribuit, ut *potuerit* Salomo sanctiores amores carmine celebrare. Id verbulum *potuisse* quam exile et minutum est! Profecto multo plus ex illa analogia consequens est. Etenim si ea tam familiaris erat genti Hebraeorum ac omnium Orientalium, ut ego uberius quam *Lowth* aliique docui; non possibile solum erat Salomoni, sed primum, opportunum decensque, sub tali desponsatorum imagine

sanctos amores adumbrare, pronumque et popularibus suis sententiam mysticam imaginis percipere.

Dein ib. p. 613 postulat, ut argumentis ex ipso poemate ductis, et rationibus internis ex operis structura petitis, allegoriam stabiliamus; additque, nihil omnino repertum iri in tam longo carmine, quod ad vestigia aliqua allegoriae ac divinioris amoris nos deducat. Injusta postulatio! Profecto minime aequum est, quasi modo prostratis argumentis ceteris, nos ad unam eorum classem restringere velle, atque si haec forte sola per se infirmior deprehendatur, illico triumphum canere. In exponendis libris, seu classicis seu sacris, omnes argumentorum species in campum advocandae sunt, aliae aliis firmandae, alia saepe alterius subsidio eget. Neque et hoc verum est, quod asserit, nulla vestigia allegoriae in cantico reperiri. Adsunt illa, ut ostendi, non evidentia quidem, (nam haec in aenigmatico sermonis genere quis flagitat?) sed aliquatenus tecta ac paulum obscura, quae lectorem tamen ejusmodi symbolorum formis assuetum non fallerent. Manifestiora postulare, hominis est, loquen-

di genus, quod nostra aetate viget, non symbolicum Orientalium, animo volventis. Confer quae dixi §. 18 in fine.

Postea dicit ibidem: « Nihil ex toto  
 « cantico allegorice intellecto eliciet prudens lector, praeter id, quod nemini ignotum, amare Deum ecclesiam et ab illa amari. Hanc vero unicam sententiam tam longa tractari allegoria, quis credit? etc.” Facile ego concesserim, id non credere eum lectorem, qui nil elicere novit, nisi nudam hanc et generalem sententiam, inani hoc et frigido verborum sono enuntiatam, neque eam satis recte et integre propositam. Rectissime sic: Deum, optimum et perfectissimum, amare, donis summis ornare, beatissimam reddere ecclesiam suam; eundemque ab illa esse desiderandum, solum et ubivis quaerendum, maximo amore diligendum, in eoque amore omnem ejus felicitatem positam esse. Confer §. 18 in fine. Haec sic verbis simplicibus dicta nunc iis coloribus et imaginibus illustranda erant, ut legentis mentem tenerent, ipsa imaginum significatione subobscura exercerent, altius in animum affectusque penetrarent ac fixa manerent,

neque, dum repraesentata erant sub symbolo grato, familiari et animos hominum captante, de memoria tam facile exciderent. In hunc finem, ut sic afficeretur animus legentis, sub amoris desponsatorum symbolo amor spiritualis descriptus est, atque ad hunc finem assequendum id symbolum erat omnino aptum, praecipue si cogites Hebraeos, formis his aenigmaticis magis assuetos intentosque. Nos vero haec legentes oportet, ut eodem, quo illi, ingenio ac spiritu induamur.

Demum *Michaelis* (ut alia minora taceam) *Bibl. Or.* part. 6, p. 140 scripta quaedam, in quibus *Wieland* sub imaginibus gratis et lubricis veritates philosophicas, ut dicit, proposuerit, in exemplum allegat; eaque quae nec sacra quisquam habuerit, nec quibusvis legenda tradiderit, conferre, quasi sit ejusdem generis, cum Canticum Salomonis non dubitat. Idem ferme facit, quod factitasse alios constat, dicentes: Quis nostratum, legens canticum mente simplici, sibi in animum inducat, sacrum amorem in eo celebrari? — Istam collationem qui potuit instituere is vir, qui temporum antiquorum notitia imbutus erat, qui no-

verat, illorum ingenia, mores, instituta,  
 literaturamque a nostris toto coelo distare,  
 quique ipse in notis ad *Lowth* p. 593 mo-  
 nuerat: « A nostrorum poetarum more om-  
 « nino abesse canticum canticorum, totum,  
 « quantum quantum est, Asiatici tamquam  
 « coloris et sanguinis ” ! Procul sit colla-  
 tio ejusmodi, procul sint illi, qui lectorem  
 hodiernum, ex vulgo aliquem, de sensu  
 cantici arbitrum constituunt. Fac talem  
 conspiceret symbola quaedam sacra antiquo-  
 rum, e. gr. ut aliquod magis simplex no-  
 minem, fac eum conspiceret aut hierogly-  
 phicis formis expressam aut verbis descrip-  
 tam hominis imaginem augustiorem, ex cu-  
 jus ore ovum promineat. Quid eum dic-  
 turum esse putes? an quid symbolici, an  
 aliquam occultam aut sacram significatio-  
 nem inesse suspicabitur? an augurabitur,  
 adumbrari Deum creatorem, ovumque illud  
 mundi fructiferum? Ne hilum quidem de  
 eo animum illius subibit. Sint jam sym-  
 bola ea, quae protuli §. 5, magis tecta et  
 magis composita, stupidus omnino et mu-  
 tus haerebit. Accedat oportet Hierophan-  
 tes, qualis erat etiam orientalibus, sacro-  
 rum symbolorum interpres; ab eo quaerat



et audiat, quae sint illa altiora, sacra et mysteriosa, his emblematum velaminibus significata. Sic quoque manu ductore opus est illi, qui legendum hoc canticum suscipit, ingenio nondum imbuto arcana prae-  
corum sentiendi ac dicendi disciplina. Hanc ob causam, ut testatur s. *Hieronimus* Praefat. in Ezechielem, « Judaeis, nisi quis  
« apud eos aetatem sacerdotalis ministerii,  
« id est, annum trigesimum impleverit,  
« canticum canticorum legere non permit-  
« titur.» Idem de Christianis sui tempo-  
ris testatur *Theodoretus* Praefat. in Cant.

Nolo plura dicere de placitis *Michaelis*, qui nil nisi conjugum amorem cani volens, prius aliquatenus cum iis auctoritatem cantici canonicam componit, postea suspectam habet eam, imo repudiare videtur. Neque dicam de iis scriptoribus, qui hujus antesignani vestigia presserunt, eumque celeriter, ut fieri solet, nova novis addere sibi gloriae ducentes, longe superaverant. Unum hoc subjungere juvat. *Mendelsohn* in opere suo *Jerusalem* inscripto (Berlin 1783) traditionis avitae tenax, quod stupet *Michaelis* Bibl. or. partis 22, p. 88, canticum ut sacrum, ac spirituali sensu exponendum,

veneratur. Sic nempe p. 102 is Judaeus eruditus, alioquin satis magna sentiendi libertate usus, scribit acerbe taxans istorum profanam neologiam: « Nehmet einen flatterhaften Abentheurer, einen Gunsteroberer, wie ihn das Pflaster jeder Hauptstadt darbeut, und unterhaltet ihn von dem Liede der Liebe, (dem hohen Liede) oder von der Liebe der ersten Unschuld im Paradiese, wie sie Milton beschreibt; er wird glauben ihr schwärmet, oder wollt eure Lection aufsagen, wie ihr das Herz eurer Spröden durch Platonische Liebkosungen zu bestürmen sucht. »

21. *De analogia Ps. XLIV (aliis XLV) cum cantico Salomonis.*

De hoc psalmo loqui, consulto distulit, tum quod aliis disputationibus distineri nolebam, tum quod existimabam, firmata symbolorum sacrorum ratione et cantici explanatione lucem affundi ps. huic, eoque vicissim illustratum iri sensum cantici.

Psalmus est hic juxta vulgatam nostrae ecclesiae versionem, quam planam et admodum rectam deprehendes, dum modo

subin aliis, quod licet. sententiarum inter-  
punctionibus ac signis notisque brevibus  
illustretur. Titulum obscuriorem, quique  
ps. argumentum non definit, omitto.

1. Eructavit cor meum verbum bonum,  
dico ego opera mea Regi! Lingua mea ca-  
lamus scribae, velociter scribentis. (a)

2. Speciosus forma prae filiis hominum!  
Diffusa est gratia in labiis Tuis! Propter  
ea benedixit Te Deus in aeternum.

3. Accingere gladio Tuo super femur  
Tuum, Potentissime,

4. specie Tua et pulchritudine Tua! (b)  
Intende, prospere procede et regna, prop-  
ter veritatem et mansuetudinem et justi-  
tiam! Et deducet Te mirabiliter dextera  
Tua

5. Sagittae Tuae acutae — populi sub  
Te cadent — in corda inimicorum Regis. (c)

6. Sedes Tua, Deus, in saeculum sae-  
culi! Virga directionis virga regni Tui! (d)

---

(a) „Eructavit” (praeteriti forma est pro praes.,  
nti et V. 7, 8, 9 et 17) effundit adinstar  
fontis, aquarum copia abundantis. „Dico”,  
eloquor, cano Regi cantica mea.

(b) „Specie” jungendum cum: accingere.

(c) „In corda” acutae.

(d) „Virga dir.” sceptrum aequitatis.

7. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem! Propterea unxit Te, Deus, Deus Tuus oleo laetitiae prae consortibus Tuis!

8. Myrrha et gutta et casia a vestimentis Tuis — a domibus eburneis; ex quibus delectaverunt Te. (e)

9. Filiae regum in honore Tuo. Astitit Regina a dextris Tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate. (f)

10. Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam! et obliviscere domum tuam et domum patris tui!

11. Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam Ipse est Dominus Deus tuus; et adorabunt Eum!

12. Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis. (g)

(e) „A domibus” prolata ex illis haec aromata et vestimenta. „Ex quibus del. Te”, ex quibus domibus ac quibus vestimentis delectant Te. Pro impersonali: Man erfreuet Dich — Du wirst erfreut.

(f) „In honore Tuo” ad Te honorandum adsunt, ac honoratae Tibi. „Varietate” colorum et ornamentorum.

(g) Incolae in regno Tyri, optimates quoque

13. Omnis gloria ejus, filiae regis, ab intus; in fimbriis aureis,

14. circumamicta varietatibus. Adducentur Regi virgines post eam; proximae ejus afferentur Tibi. (h)

15. Afferentur in laetitia et exultatione; adducentur in templum Regis. (i)

16. Pro patribus Tuis nati sunt Tibi filii: constitues eos principes super omnem terram. (k)

17. Memores erunt nominis Tui in omni generatione et generationem. Propterea populi confitebuntur Tibi in aeternum et in saeculum saeculi!

In psalmo celebratur primo rex ut sponsus aut adinstar sponsi, dein regina velut sponsa. De rege hoc quaenam praedicentur, imprimis dispiciendum est, ut appareat, quis qualisque sit ille. Dicitur

plebis tuum Regina vultum, te venerabuntur summo honore.

(h) „Post eam” Illa prima, dein proximae seu sociae ejus.

(i) „Templum” palatium Regis.

(k) „Nati sunt” nascuntur Tibi, sponso regio, filii, qui sint patrum loco.

1. potentissimus, qui gladio accinctus, arcu sagittisque pugnet, prospere procedat, dextera sua seu potentia sua mirabiliter deductus, sub quem cadant populi hostiles, corda perfossi. Haec Salomoni non bene conveniunt, quem non legimus bellis gerendis intentum fuisse, imo de quo praedicitur 1. Paral. xxii, 9: « Erit vir quietissimus, faciam eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: ob hanc causam pacificus (Salomon) vocabitur; pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus ejus. »

2. Psalmus praedicat regis, cui benedixit Deus in aeternum, justitiam, mansuetudinem; sceptrum regni ejus esse sceptrum directionis i. e. aequitatis. Ast imperium Salomonis primis quidem annis, non posterioribus tale fuit. Populus qui sub his vixit, graviter conquestus est: « Pater tuus, dicunt Roboamo filio 3 Reg. xii, 4, durissimum jugum imposuit; tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo et de jugo gravissimo, quod imposuit nobis, et serviemus tibi. »

3. Dicitur rex ille odisse iniquitatem, ac unctus esse unctione peculiari, quae non

esset aliorum regum aequalium. De Salomone quis dicat eum tali unctione praecelluisse Davidem aut quosdam ex regibus sequentibus? aut iniquitatem prorsus aver-  
satum esse eum, qui in scelera iniquissima prolapsus est, de quibus an poenitentiam egerit, non constat nobis?

4. Beatus dicitur rex ille fore, eo quod filios suos constituet principes super omnem terram. Scimus autem, Salomonem, ter-  
ris multis alienigenarum a patre subjugatis, non modo nullam earum reliquisse filiis, sed eum ob infidelitatem adversus Deum id meruisse, ut is, qui sibi succederet filius, perquam magna aviti imperii parte privaretur, solas duas tribus retinens, id-  
que tantummodo ob avi Davidis pietatem. Lege 3 Reg. xi, 13. Quatuor ista, quae in psalmo hoc in ordinem sacrorum cantico-  
rum relato praedicantur, quum in Salomone impleta non sint, certe alterius regis gloria a cantore sacro celebratur.

5. De rege illo dicitur: « Benedixit te  
« Deus in aeternum. Populi confitebuntur  
« tibi in aeternum et in saeculum saeculi.  
« Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi.  
« Unxit te, Deus, Deus tuus oleo laetitiae, »

Manifestum est, haec verba, imperium aeternum ac dignitatem divinam regi huic tribuentia, non competere in Salomonem, nec in ullos ejus successorum, hominum mortalium. Sunt quidem interpretes, qui ut haec accommodarent Salomoni, plura excogitarunt subterfugia, velut: repetendo thronus (seu sedes) ac *Elohim*, *Deus*, ut genitivum sumendo sic: thronus tuus Dei thronus est; aut *Dei* interpretando *divinus* i. e. praestantissimus; aut habendo *Deus* pro nominativo et referendo ad Deum patrem: Deus est thronus, quo sedes; aut accipiendo totam sententiam, ut exclamationem insertam et ad Deum patrem relatum. Similia tentarunt circa sequentia: Unxit te Deus etc. Verum ipsae hae constructiones tam violentae et studiosius quaesitae, ipse laboriosus aut anxius conatus isthaec effugia reperiendi, documento sunt, veram esse obviam hanc constructionem: vocativum esse *Deus*, ac referri ad regem, quem psalmus celebrat. Constructionem hanc nobis reddit indubiam insignis locus Hebr. 1, 8—9, de quo statim.

Cujus ergo regis gloriam cantatam esse dicamus? Profecto, si vel sola verba psal-



mi attendamus, illius regis, qui promissus saepe fuerat patriarchis et Davidi, qui regem summus esset futurus, cujus imperium aeternum, in quo gentes omnes essent benedicendae, qui expectatio seu conversio gentium esset futurus, Israelitico populo imprimis mittendus liberator pacificator, legatus Dei, honore summo colendus, Dei potentia ac divina dignitate indutus « su-  
 « per omnia Deus benedictus in saecula.” Rom. ix, 5. Huic regi et sponso, atque huic soli, conveniunt quae gloriosissima in hoc psalmo dicuntur. In epistola ad Hebraeos postquam scripta erant de Christo, quod sit « splendor gloriae et figura  
 « substantiae ejus, ( Patris ) portansque  
 « omnia verbo virtutis suae, per quem  
 « ( Pater ) fecit et saecula”; haec adstruuntur verbis psalmi hujus, ergo relatis ad Christum ac intelligendis in sensu quem diximus: « Thronus tuus Deus in saeculo  
 « lum saeculi . . . Unxit te, Deus, Deus  
 « tuus oleo exultationis.” C. 1.

Rex ergo seu sponsus psalmi hujus quis sit tenemus; restat, ut de sponsa seu regina inquiramus. Hic recolenda sunt nobis ea, quae supra diximus: solere orien-

tales, quando summi numinis cum gente aliqua unionem mutuam et beatam significant, numen hoc adumbrare sub sponsi aut mariti nomine et persona, gentem illam sub sponsae uxorisve forma. Sic in hoc psalmo rex et sponsus est legatus ille divinus, omnis gloriae et felicitatis auctor, Messias Dominus; gens Israelitica est sponsa regalis et primaria, primaria quidem tempore et dignitate, quoniam sponsus divinus eam primam junxerat sibi, pluribus donis ornaverat, ac uti dicitur Jerem. II, 4, ac Isaiae LIV, 6, is fuerat dux virginitatis ejus ipsaque uxor ejus ab adolescentia. Post eam sponsam primariam aliae virgines i. e. gentes plures ad eundem Messiam juxta prophetarum oracula erant adducendae, primam illam veneraturae, cum sponsae Israeliticae « erat (Rom. IX, 4) gloria et testamentum et legislatio et promissa, eique patres, ex quibus est Christus secundum carnem. »

Huic symbolicae expositioni conveniunt quam aptissime, imo flagitant eam, omnia ps. verba: « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato. » Gloria praecellens sponsae Israeliticae significatur. « Audi

« filia, et vide, et inclina aurem tuam,  
 « et obliviscere populum tuum et domum  
 « patris tui.” Monetur, ut nupta sponso  
 gloriosissimo, huic soli omnem obedi-  
 entiam et reverentiam praestet, eique soli  
 adhaereat. « Concupiscet rex decorem  
 « tuum, quoniam ipse est Dominus tuus  
 « (in hebr. non additur *Deus*,) et adora  
 « eum.” (Sic in hebr. loco *adorabunt eum*.)  
 Quam vere sponsus Messias dicitur Domi-  
 nus desponsatae ecclesiae, atque adoran-  
 dus ab illa, seu juxta latinum adorandus  
 ab ecclesiae fidelibus! Pariter ea, quae de  
 aliis virginibus dicuntur, aptissimum ha-  
 bent sensum. « Filiae regum in honore  
 « tuo.” Filiae regum dicuntur phrasi he-  
 braica civitates et terrae regum, nempe  
 gentilium, ut ex V. 7 patet. Quare his  
 verbis idipsum dicitur, quod a Jacobo prae-  
 dictum et ab aliis prophetis saepissime ite-  
 ratum est: gentes ad agnoscendum et ho-  
 norandum Messiam adducendas esse. « Fi-  
 « liae Tyri in muneribus vultum tuum”  
 (tuum in hebr. est faemininum) « depre-  
 « cabuntur, omnes divites plebis.” No-  
 mine filiarum i. e. civitatum unius regni  
 Tyri, tum temporis florentissimi, ceterae

simul civitates gentium significantur. Hanc ecclesiae gloriam his verbis illustrat et confirmat Isaias : « Venient ad te filii eorum, « qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum . . . . et vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israel. » Lx, 14. Lege et xlix, 23. Demum dicitur in psalmo : « Adducentur regi virgines post eam, proximae ejus afferentur tibi. » Hoc est, ut patet amplius ex hebraico : Post eam sponsam ac cum ea virgines seu civitates aliarum gentium adducentur ad regem sponsum ; proximae seu sociae sponsam sectantes afferentur tibi, qui regius sponsum es. Haec verba ulteriori expositione et applicatione non indigent.

Vides, quam aptissime haec omnia verba psalmi convenire Christo Domino, ac ecclesiae eidem desponsatae.

Convenit quoque haec expositio cum doctrina ac traditionibus magistrorum Synagogae et christianae ecclesiae. Quod ad illos pertinet (nam de his manifestum satis est,) Chaldaeus paraphrastes, cujus aetas saltem ad prima fidei christianae saecula pertingit, non solum omnem ps. ad

Messiam refert, sed etiam *filiis regum* intelligit civitates seu regna gentium. Quamplurimi Rabbini eandem expositionem sequuntur, utique uti et Chaldaeus juxta traditionem avitam, quod etiam fatetur *Rosenmüller* in Scholiis ad h. ps., quamvis ipsemet minime favens huic sententiae illorum.

Convenit quoque haec Psalmi expositio cum sensu mystico Cantici Salomonis, adeoque alterum alterius intellectum confirmat illustratque. Possis quoque conjicere, hujus psalmi exemplo (licet alia non deerant,) exitatum Salomonem fuisse, ut Canticum similis formae symbolicae scriberet in quo praeter decorem sponsi sponsaeque, in psalmo magis celebratum, caneret inprimis amoris mutui vim ac suavitatem, sponsaeque felicissimam conditionem.

Convenit demum data expositio psalmi cum oraculis prophetarum, cum locutionibus s. scriptorum N. T., itemque cum Israelitarum primaria ad ecclesiam Christi vocatione, (qui erant « secundum electionem charissimi propter patres, quibus-

H

« que Christus minister erat, ad confir-  
 « mandas promissiones patrum » Rom.  
 xi, 26. xv, 8,) ac cum vocatione genti-  
 lium ad eandem ecclesiam, « qui Deum  
 « honorare debent super misericordia »,  
 i. e. ea, quae praestita est ipsis, etsi pro-  
 missiones Israelitis principaliter ac magis  
 directe factae erant. Ib. xv, 9.

In dispensatione sapientissima divinae  
 religionis omnia inter se apta et connexa  
 sunt a primordiis humani generis ac dein-  
 ceptus usque ad aetatem ultimam. Conse-  
 quentia sunt juncta et nixa praecedenti-  
 bus; ac ea quae praecesserant, obscurius  
 interdum pro ratione temporum hominum-  
 que ac Dei beneplacito significata, illu-  
 strantur per ea quae consequuntur. Sic  
 quae dicta et revelata sunt primis homini-  
 bus ac patriarchis, illustrantur per ea, quae  
 Moysi, Davidi aliisque ejus aetatis revela-  
 ta sunt; haec ubi aliquanto tectiora sunt,  
 per ea iterum quae prophetis sequentibus  
 patefacta sunt; haec dein per aliorum pro-  
 phetarum oracula; demum cuncta illo ad-  
 veniente et imperium aeternum constituen-  
 te, qui est quasi sol « oriens ex alto »,

(Luc. I, 79) quique est « finis legis », (Rom. X, 4) luce clarissima illustrantur, patescunt et firmantur.

Nobis ergo, qui vivimus, ut Apostolus dicit, « in dispensatione plenitudinis temporum », (Eph. I, 10) id faciendum est, quod a beatissima Virgine pia animi contemplatione factitatum esse, refert Lucas II, 19 et iterum ib. 51: « Maria conser-  
vabat omnia verba haec, conferens in corde suo. »

Quodsi, hujus collationis satagens, neque canticum aut psalmum hunc, neque ullum librum sacrum tractes seorsim, ut avulsum ab unitate corporis ss. literarum; comperies, id verum esse, quod in fronte lucubrationis hujus ex Prov. VIII, 9 adscripti, secutus versionem graecam, cum latina non tam exacte hebraicum reddat: Πάντα ἐνώπια τοῖς συνίσει, καὶ ὀρθὰ τοῖς ἐυρίσκεισι γινώσκειν. Id est: *Omnia (divinae sapientiae verba) intelligentibus plana sunt, (obvia, evidentialia, nec tenebris involuta, nec carnalia, modo quis eorum intelligentiam assequi noverit) et recta sunt invenienti-*

*bus scientiam. Siquid ego ad hanc evidentiam rectae ac mysticae interpretationis hoc scripto contulerim; sit hoc in sponsi gloriam, ac quale id demum sit quod assequi volui, quodque scripsi, id omne sponsae iudicio subjectum esto.*

\* \* \*

Postquam haec a. 1810 scripseram, legi dissertationem hanc: Das hohe Lied in einer noch unversuchten Deutung, von Joh. Leonhard Hug, Dr. G. R. und Prof. an der hohen Schule zu Freyburg. Freyburg und Constanz in der Herderschen Buchhandlung. 1813. In 4. pag. 55.

Contendit ac argumentis probat, canticum non esse, ut plures nostrae aetatis voluerunt, concinnatum a quodam ex variorum auctorum carminibus similis generis, neque ex fragmentis unius cantoris; unum esse canticum, quod uti eundem auctorem, ita unum argumentum habeat, tendens in eundem finem; sponsam neque esse filiam regis Aegypti, neque aliam ex Salomonis uxoribus, aut ex amatis ab eo



feminis, neque omnino cantari terreni amoris oblectamenta; sub nomine hujus regis non signari Davidis filium Salomonem; sponsam introduci in allegorico seu symbolico sensu. Hucusque non recedit a mea sententia, aut saltem recedere non videtur. Unum esse ejusdem auctoris canticum multis verbis commonstrat, quod a me posthabitum est, quoniam arbitror, symbolico sensu constituto id simul patescere.

Verum quam vult esse cantici formam peculiarem, ac quem sensum symbolicum? Formam contendit esse fictionem poeticam talem, ut in somnio agantur et dicantur cuncta. (« Es sind nicht blos einzelne  
« Träume, welche hie und da in dem Gedichte eingeschaltet sind, sondern alles  
« ist ein Traum. ») Quam existimat esse significationem symbolicam sponsae praepriis, id pluribus exponit. Scilicet: quum abducti ex regno Israel in Assyriam erant incolae quamplurimi, optimates omnes nobilesque, divites et bellis apti; reliqui in his terris erant pauci numero, et conditionis infaustae.

Dum hi per aliquot annorum decursum videbant statum regni Judae prosperum interim ac florentem, optabant adjungi huic populo regibusque ex Salomonis progenie. Id summopere non solum desiderabant, sed et partim exsequebantur sub rege optimo et piissimo Ezechia. Ad festivitates divinas ab eo celebrari jussas convenerunt invitati admodum multi, frangentes dum redierant altaria et idola deastrorum, spemque concipientes fore ut populares in exsilium ducti reverterentur. (2 Paral. xxx) Sponsa cantici, inquit, repraesentat populum in terris Israel, ejusque vota ac desideria. Sub nomine Salomonis venit rex Ezechias; ideoque ejus tempore canticum scriptum esse asserit. Hanc allegoricam significationem cum habeat canticum, in quo et omnia exhibeantur in somnio; sponsae hoc pastoritiae somnium, dicit esse somnium pulchrum, simulque politicum ac religiosum somnium, adeoque canticum dignum, ut sit libris sacris et canonicis adnumeratum.

Haec scriptoris interpretatio, nova pro-  
fecto nec ante tentata, quamvis cum mag-

na eruditionis copia ac ingenii acumine proposita sit et exornata, mihi non probatur, nec idoneis argumentis nixa videtur; etsi gavisus sim, esse aliquem, qui profanam illam, de qua dixi, tractationem cantici, in sacrum canonem cooptati, nuperime oppugnaverit. Neque aliis placuit auctoris sententia. Acriter eam taxat is qui recensum dissertationis instituit in scripto publico: Göttinger gel. Anzeigen. 1815. 84 Stück. Defensionem sententiae suae scripsit auctor sub hoc titulo: Joh. Leonh. Hug's Schutzschrift für seine Deutung des hohen Liedes und derselben weitere Erläuterung. Freyburg 1816. Hac me fateor adductum non esse, ut in partes ejus abeam. Alius recensor in opere: « Allgem. Jenaische Literaturzeitung » benignius tractat auctoris librum, non quidem approbans ejus placita, tamen ingenii sollertiam laudans et conatum, cum cantico sensum tribuendi, qui magis congruat ejus dignitati canonicae.

Prof. Hug ad firmandum allegoricum cantici sensum saepius provocat ad ejusdem generis carmina Graecorum et Roma-

norum, Theocriti, Bionis, Virgilio et aliorum. Rivulos sectatur: nam et ipse dicit, talia carmina symbolica originem traxisse ex poematibus genioque orientalium scriptorum, qui liberius etiam ac audacius ea scripserint. Quanto satius erat, ipsos fontes adire, atque ex symbolismo orientalium, praeprimis ex eorum hierographia — scribendi de rebus divinis ratione — illustrare et confirmare sensum cantici in oriente scripti, atque ad antiquorum ejus regionis hominum sensum ingeniumque aptati et aptandi!

---

Ex Typographia Aschendorff.